



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Polemica

Burghaber, Adam

Fribvrgi Helvetiorvm, 1678

LXXI. De Reali Præsentia Christi in sacra Eucharistia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72462)

CONTROVERS. LXX.

DE REALI PRÆSENTIA
Christi in Eucharistia.

Sacramentum Eucharistiæ inter reliqua quidem ordine tertium, dignitate verò primum est; quia Christum totius sanctitatis fontem continet, & ut loquitur S. Dionysius, *omnium Consummatio & perfectio est*. Ex varijs ejus Nominibus, de quibus passim alij, præcipuum & antiquissimum est Eucharistia à verbo *εὐχαριστία*, quod propriè quidem gratias agere, Scripturæ autem phrasi benedicere cum gratiarum actione, sive gratias agere cum benedictione significat, ut ex Luc. 22. v. 19. aliisque pluribus locis & exemplis probat Joannes Maldonatus in cap. 26. Matth. vers. 26. Quoad rem ipsam.

PARS PRIOR.

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. *Doctrina prima.* Eucharistia universim sic describi potest. Est Sacramentum in corporis & sanguinis Christi veraciter contenti sub speciebus panis & vini post consecrationem factam à Sacerdote sub certis verbis cum debita intentione prolatis ex institutione divina veraciter signans corpus & sanguinem Christi sub eis realiter contineri per modum cibi & potus exhibiti in alimentum pro nutritione spiritualis vitæ corpori Christi mystico. Ita Scotus in 4. Dist. 8. q. 1. & alij Catholici Doctores. In hac autem descriptione non omnia ad hujus Sacramenti essentiam, sed aliqua ac integritatem ejusdem spectant, aut ex parte Principij effectivi requiruntur, ut in sequentibus docebimus.

II. *Doctrina secunda.* Tam Corpus & sanguis Christi, quàm species Sacramentales intrinsecè ad Sacramentum Eucharistiæ pertinent, idque confirmant. Ita communiter catholici Theologi. Ratio prioris est, quia Eucharistia est sacramentum significans gratiam per modum nutritionis. Atqui caro & Sanguis Christi nutriunt spiritualiter animam, teste ipso Christo Joan. 6. v. 55. Ergo &c. Ratio posterioris est, quia de ratione Sacramenti est, ut sit signum sensibile (quod signat de Eucharistia asserit Tridentinum Sess. 13. c. 3.) Atqui Corpus & Sanguis Christi prout existens in hoc Sacramento non est signum sensibile gratiæ nutrientis in vitam æternam, nisi quatenus substat speciebus panis & vini. Ergo etiam illæ pertinebunt intrinsecè ad essentiam hujus Sacramenti. Antiqui Theologi hæc tria distinxerunt in Sacramento. 1. id, quod est res solum. 2. id, quod est tantum Sacramentum sive signum rei sacræ. 3. id quod simul est res & Sacramentum sive signum. Res sola dicitur, quæ significatur, & non significat, uti est gratia Sanctificans, quæ in proposito per species & corpus Christi significatur, & non significat aliud. Sacramentum tantum dicitur, quod significat, & non significatur, uti sunt in præsentia species, quæ

præcisè significant Corpus Christi & sanguinem per modum nutrimenti. Res & Sacramentum simul dicitur, quod significatur & significat, sicuti hic corpus & sanguis Christi revera significantur per species, & ulterius significant gratiam conferendam. Unde facile apparet, Innocentium III. quando c. Marthæ. de celebrat. missæ ait, *species visibiles esse Sacramentum tantum*, per hoc non velle excludere corpus & sanguinem Christi à constitutione ejusdem Sacramenti, sed solummodo innuere diversum istorum ab illis existendi modum, à quibus etiam utriusque producit gratia ad faciendam nutritionem spirituales, quantumvis in cibo naturali sola substantia nutriat, ut bene Card. Lugo Disp. 1. de Eucharistia n. 22.

III. *Doctrina tertia.* Formula quoque verborum pertinet ad intrinsecam hujus Sacramenti constitutionem. Ita communiter Catholici Doctores. Prob. tum ex Concilio Florentino post Sess. ultimam in decreto Eugenij IV. universaliter affirmante, *Sacramenta nova Legis perfici rebus tanquam materiis: & verbis tanquam formâ*. Ergo sicuti hoc in cæteris Sacramentis intelligitur de intrinsecâ & essentiali constitutione, ita etiam in isto, quod aperte innuens Concilium statim subjungit, formam Eucharistiæ esse verba consecrationis. Tum ratione, quia illud intrinsecè constituit Eucharistiam in ratione Sacramenti, à quo formaliter habet species Sacramentales, ut sint signum visibile corporis Christi, & consequenter gratiæ per ipsum conferendæ. Sed hoc habent formaliter à verbis consecratorijs. Ergo &c. Prob. Min. Corpus Christi in se non est sensibile, prout existit in Eucharistia: sed neque est sensibile per species panis secundum se sumptas; hæ enim potius significant panem, quàm Corpus Christi. Ergo vim significandi Corpus Christi debent habere aliunde. At non habent nisi quatenus substat verbis affirmantibus corpus Christi sub speciebus, & quidem cum certis circumstantijs ad hoc requisitis, ut in intellectu humano generari hoc judicium credibilitatis possit. Ergo &c. Quamvis autem verba consecrationis mox physice pereant, moraliter tamen perseverant, dum in morali æstimationem hominum ad denominandas species signum visibile corporis Christi perinde serviunt præterita verba, ac si essent præsentia: & unà cum alijs partibus Sacramenti immediatè & proximè gratiam significant & causant.

IV. *Doctrina quarta.* Usus seu sumptio Eucharistiæ non pertinet intrinsecè ad rationem hujus Sacramenti. Ita omnes Catholici ex Concilio Trident. quod Sess. 13. can. 4. definit, *Eucharistiam extra usum esse verum Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi*. Et can. 6. *Christum in hoc Sacramento cultu Latriæ adorandum, rectèque in processibus circumferri*. Et can. 7. *rectè asservari in Sacrario pro moribus; quæ sanè non rectè dicerentur, si actualis sumptio foret de essentia hujus Sacramenti*, sicut ablutio est de ratione Baptismi. Confirmatur. Sacramentum istud dicitur cibus animæ. Atqui cibus est ante manducationem, & non formaliter ipsa manducatio; item verba Christi (*hoc est corpus meum*) utique vera fuerunt ante sumptionem.

V. *Doctrina quinta.* Materia remota, ex qua conficitur Sacramentum, est Panis & Vinum. Ita omnes Catholici, & sæpe definivit Ecclesia in Concilijs

cilij Lateranensi, Florentino & alijs, ac constat ex factis Christi, qui Matth. 26. v. 26. Marci 24. v. 22. Lucæ 22. v. 19. pro materia corporis accepit panem præcipiens Apostolis, ut idem facerent. De materia calicis colligitur ex Matth. loc. cit. ubi post consecrationem Christus hæc verba subiungit v. 29. *non bibam de hoc gemmine vitis &c.* clarè annuens, fuisse prius in calice vinum. Itaque solus non tamen omnis panis est materia valida, sed, ut ait Florentinum in decreto Eugenij, *triticeus*; nomine autem tritici non solum venit illa nobilissima species, quæ presè & magis specificè triticum dicitur, sed etiam aliæ, quæ cum tritico maximam habent similitudinem & cognationem tam similitudine naturæ, quam cum uni hominū usu; quamvis, quando holiæ haberi possunt ex tritico presè sumpto, non deceat, adhibere ex farina inferioris notæ propter minorem certitudinem. Porro massa triticea debet igni assari sive in furno, sive sub cineribus, sive inter ferri laminas, sive alio convenienti modo. Debet etiam farina triticea naturali aquâ subigi: non autem oleo, lacte, butyro, melle, aut simili liquore, nisi quantitas eiset valde modica. Demum ad valorem Sacramenti sufficit tam panis azimus, quam fermentatus, ut habet Catholica veritas, & defumitur ex Concilio Florentino in decreto Eugenij. Ratio est, quia uterque est verus panis. Quare licet Christus in alterutro pane consecraverit, non tamen determinatè illum ita instituit, ut alterum tanquam inidoneum excluderet. Unde Græcis per mittitur consecratio in fermentato, & hi obligantur ad sic consecrandū non minùs quam Latini ad azymum, nisi Latinus domicilium ad Græcos, vel è contra transferret. Videatur valentia Tom. 4. D. 6. Q. 2. pun. 1. ubi bene ait, panem azymum aptiorem esse ad significandum tum Christi puritatem, tum conscientiam nostræ sinceritatem, quâ par est istud Sacramentum usurpari juxta illud Apostoli 1. Cor. 5. 117.: *Pascua nostrum est Christus.* Itaque epulemur in azymis sinceritatis & veritatis; Unde apparet, consuetudinem Ecclesiæ Latinæ esse meliorem. Vinum debet esse de vite juxta Concilium Florentinum cit. & alia, colligiturque ex Sacra Scripturâ his verbis cit: *non bibam de hoc gemmine &c.* Nomine autem vini ex vite intelligunt omnes Succum ex uvis maturis expressum, vel qui secundum suæ naturæ exigentiam exprimi deberet, quale fuit vinum in Cana Galilææ miraculosè factum. Ante consecrationem rectè admisceri aquam modicam testantur Concilia, Summi Pontifices, & Patres, qui id proponunt & docent tanquam antiquam Ecclesiæ consuetudinem, & Apostolicam Traditionem Christi, qui illud ipsum fecerit. Hanc tamen admixtionem non esse necessariam, clarè exprimit Tridentinum Sess. 22. c. 7. aiens, *preceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino miscerent;* Unde sine ea solum & purum vinum validè consecraretur. Videri potest Bellarminus Lib. 4. de Eucharist. c. 10. & 11.

VI. Communis hodie, & post Concilium Tridentinum Sess. 13. c. 1. certa sententia est, Christum Dominum consecrasse verbis: satis etiam apertè ex eodem Concilio constat, benedictionem & gratiarum actionem, cujus meminerunt Evangelistæ, fuisse distinctam à consecratione, quæ post benedictionem facta fuit; unde series Actionum Christi sic ordinari debet. 1. accepto

pane oculis in cælum elevatis gratias egit. 2. benedixit panem, hoc est, perijt, ut virtus divina benedictioni adesset. 3. fregit panem more hebræorum. 4. denique præbuit discipulis, & præbendo dixit: *accipite & comedite, hoc est Corpus meum,* nempe tanquam porrigenis & tanquam consecrans. hoc posito.

VII. *Doctrina sexta.* Verba consecrationis Ecclesiæ Latinæ pro pane sunt hæc: *Hoc est enim Corpus meum.* Et pro calice sunt ista: *Hic est enim calix sanguinis mei, novi & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur.* De sufficientia hujus formulæ dubitare non licet, siquidem, Tridentinum Sess. 22. c. 6. sub anathemate prohibet, *ne quis errorem aliquem in canone missæ contineri dicat;* lis tamen aliqua est inter Scholasticos, quænam ex illis necessariò requirantur ad hoc Sacramentum consecrandum, sintque essentialis hujus formulæ? Subscribimus communi Theologorum sententiæ, ad validam consecrationem panis requiritur ac sufficere hæc verba: *Hoc est Corpus meum.* calicis verò ista: *Hic est calix Sanguinis mei.* vel brevius: *Hic est Sanguis meus.* Prob. Tum quia sine his verbis non sufficienter significatur præsentia Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus: eadè verò seclusis alijs sufficienter prædictam præsentiam Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus expriment. Ergo ad legitimam formam hujus Sacramenti requiruntur & sufficiunt. Tum quia quælibet forma à quocunque canonico Scriptore tradita sufficit ad validam consecrationem; incredibile enim est, canonicos Scriptores tantum mysterium tam perfuntoriè recensuisse, ut nec essentialia sufficienter expreserint. Atqui nullus est, qui omnia nostræ liturgiæ verba referat. Ergo &c. Tum quia SS. Patres relati apud Dicastillo de Eucharistia D. 3. n. 82. dum de verbis loquuntur, quibus vinum convertitur, solum referunt allata. Ex his rationibus planè probatio nostra est efficax, ut ut aliàs res tota ex voluntate Christi pendeat.

VIII. Contra hanc doctrinam obijcitur 1. Concilium Florentinum & Coloniense. item c. Marthæ & Catechismus Romanus, à quibus tota illa forma assignatur. 2. Sententia Cajetani (quæ est nostra) jussu Pij V. fuit omiſsa in editione Romana. 3. Omnia illa verba eodem ritu à Sacerdote exprimentur, eodèque caractere majusculo in Missali proferuntur. 4. in forma Baptismi sufficienter significatur ablutio per illa verba: *Ego te baptizo,* nihilominus nisi addatur illud in nomine Patris &c. nulla est forma Baptismi, Ergo &c. Respon. ad 1. esto, omnia illa verba dicerentur forma, non tamen dicitur, omnia esse necessaria; tamen enim non sint omnia partes formæ, adhuc dici potest, illum textum esse formam; unde Catechismus Romanus signatè ait, in illis verbis comprehendi formam. Ad 2. Sententiam Cajetani non fuisse omiſsam, quod falsa esset aut improbabilis, sed quia contrarium D. Thomæ sententiam nimis deprimebat, quamvis S. Thomam multi in bonum sensum explicent. Ad 3. id dici uno eodèque ritu, quia cum pertineant ad unam eandemque orationem & locutionem, in conveniens foret, interrumpi, sicuti nec interrumpuntur verba abſolutionis, quantumvis invocatio SS. Trinitatis non sit de essentia. Ad 4. Illa verba: *Ego te baptizo,* non significare determinatè aliquam ablu-

tionem supernaturalem & Superiorem purè naturali & materiali; quocirco ut determinatè significant ablutionem animæ, quam efficiunt, debent adungi Sequentia in nomine Patris &c.

IX. In specie loquendo de verbis consecrationis, quomodo in illis pronomina Hic & Hoc sumantur, pertinet ad Scholasticos explicandum. Breviter dicimus, pronomen *Hoc* nec panem, nec Corpus Christi determinatè significare, sed ratione quandam utrique comunem sub speciebus panis; quod contentum sub initio propositionis sit panis: in fine autem unice Corpus Christi, ita ut substantia significetur in Recto, & ut Quod: accidentia verò panis in obliquo & ut Quo; sed substantia indeterminatè ac confusè: accidentia autem expressè ac determinatè, prout in oculos incurrunt. Pari modo dicimus de pronomine *Hic* in consecratione calicis. Ratio hujus doctrinæ est. Tum quia admodum conformis est Tridentino, quod Sess. 13. cap. 4. loco pronominis *Hic* posuit istam phrasin: *id quod sub speciebus panis*, cui æquivalet contentum sub speciebus panis. Tum quia sic ex una parte salvatur tota proprietas verbi *Est*: ex altera verò adest sufficiens diversitas & identitas propositionis, in qua ostendenda diversæ sententiæ laborant. Iisdem Scholasticis explanandum relinquimus, utrum prædicta verba consecratoria causent conversionem panis & vini quatenus vera, aut quatenus significativa? Paucis iterum respondemus, illa efficere suum objectum, quatenus significativa; ac proinde in illo priori, in quo causant conversionem, esse quidem significativa sui objecti, non tamen vera veritate formali: nec falsa, sed abstrahere ab utroque. Ratio est, quia veritas verborum Consecrationis est posterior conversione Eucharistica; etenim ad veritatem eorum præsupponi debet conversio ipsa panis in Corpus Christi, & vini in sanguinem ejusdem. Confirmatur ex Tridentino Concilio, quod Sess. 13. c. 3. ait, *Corpus Christi esse sub speciebus panis vi verborum*. Itaque in forma Eucharistiæ 1. est sonus materialis. 2. significatio. 3. conversio panis & vini. 4. formalis veritas. Videri possunt Arriaga D. 40. n. 63. & alij Scholastici.

X. *Doctrina septima.* In hoc Sacramento verè, realiter, ac substantialiter insunt Corpus & Sanguis Christi. Ita de fide tenent omnes Catholici juxta professionem Fidei à Pio IV. editam, ubi inter alia dicitur: *Profiteor in Sanctissimo Eucharistia Sacramento esse verè realiter ac substantialiter Corpus & Sanguinem Christi Domini Nostri*. Quod ipsum Christus Dominus manifestè asseruit in Evangelio Joan. 6. v. 52. *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*. Et v. 55. *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*. De reali autem manducatione Corporis sui in Eucharistia hic agere Christum, patet 1. ex verbis *manducare & bibere*, quibus utraque species clarissime distinguitur, cum in spirituali manducatione per fidem idem sit bibere, quod manducare. 2. ex vocabulo *dabo*; etenim fidem in Christum, ut spirituales animæ cibum jam pridem illis dederat, & nominatim hoc cap. v. 29. & sequent. 3. ex nominibus *carnis & sanguinis*; hæc enim non debuissent inculcari pro objectis fidei; quia Judæi ista ultro admittebant in ipso, & oculis suis videbant, sed Divinitas inculcanda erat, si de sola fide ageretur. 4. quia Judæi v. 53. intellexerunt Christum loqui de reali manducatione veræ carnis

suæ; hoc quippe durum, imò impossibile esse arbitrabantur; & tamen in eo intellectu non reprehenduntur à Christo, sed potius confirmantur, ac solum de modo realiter manducandi, quem non capiebant, instruuntur. 5. permittit apostatare potius tot à se discipulos, quam negaret talem manducationem veræ carnis suæ necessariam esse; cum, si de sola spirituali manducatione per fidem fuisset locutus, uno verbulo apostasiam omnem & Scandalum avertere potuisset, imò debuisset, dicendo, se solum fidem urgere, quæ facilis esset in re, quam oculis suis coram spectarent. 6. denique incredibile est, Joannem Evangelistam nullibi egisse de Sacramento Eucharistiæ. At nullibi de eo verba fecit, si totum illud caput sextum exponendum est de sola Christi manducatione per fidem. Quare omnino dicendum est, in prædicto capite agi de manducatione Sacramentali, adeoque de Sacramento Eucharistiæ, ut locum hunc post alia Concilia & Patres exponit Tridentinum Sess. 21. c. 1.

XI. Adhuc clariùs habetur doctrina nostra in ipsa institutione hujus Sacramenti Matth. 26. v. 26. per ista verba: *Cœnantibus autem illis accepit JESUS panem, & benedixit ac fregit, & dedit discipulis suis dicens: accipite & comedite, hoc est Corpus meum*. Et accipiens calicem gratias egit & dedit illis dicens: *bibite ex hoc omnes; hic est enim Sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Quæ verba tam clara sunt, ut Cyrillus Hierosolymitanus Episcopus circa annum 350. putaret, nullum esse locum dubitandi; sic enim scribit catechesi 4. *Cum ipse de pane pronuntiaret & dixerit: Hoc est Corpus meum, quis audebit deinceps ambigere? Et cum idem ipse tam asseveranter dixerit: Hic est sanguis meus, quis unquam dubitaverit, ut dicat, non esse ejus sanguinem? nonne persuasum firmiter habemus, sic eum Corpus & sanguinem suum fruenda nobis donasse, ut ea cum omni certitudine tanquam corpus ipsius & sanguinem sumamus*. Nam in specie panis datur nobis corpus, & in specie vini dat nobis sanguinem, ut cum sumpseris gestes corpus & sanguinem Christi, factus ejusdem Corporis & Sanguinis particeps; sic enim efficitur Christifera, hoc est, Christum in corporibus nostris ferentes, cum ejus corpus & sanguinem in membra nostra recipimus. Et postea: *Quamobrem non sic attendas hunc vinum, tanquam sint nudus & simplex panis, nudum & simplex vinum; Corpus enim sunt & sanguis Christi*. Nam etiamsi sensus aliud tibi renunciat, fides tamen inter confirmet, ne judices rem ex gustu, sed te citra ullam dubitationem fides certum reddat. Græco Patri adjungo Latinum Ambrosium Episcopum Mediolanensem circa annum Christi 380. Iste Lib. 4. de Sacramentis c. 4. Tu forte, ait, dicens, meus panis est usitatus; sed panis iste panis est ante verba Sacramentorum, ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. Et cap. 5. Ipse Dominus JESUS testificatur nobis, quod corpus suum accipiamus & sanguinem, nunquid debemus de ejus fide & testificatione dubitare? Et postea L. 6. cap. 1. Sicut verus est DEI Filius Dominus noster JESUS Christus, non quemadmodum homines per gratiam, sed quasi Filius ex substantia Patris, ita vera caro, sicut ipse dixit, quam accipimus. Eadem est sententia cæterorum Patrum Græcorum & Latinorum, quos fusè & eruditè adducunt Cardinal. Bellarminus Lib. 2. de Eucharistia, & Jacobus Gualterius in Tabulis Chronograph. Verit. I. per omnes æta-

XII. Accedit testimonium D. Pauli 1. Corinth. 11. vers. 28. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat; qui enim manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Quæ exaggeratio sceleris & punitio etiam temporalis indignæ communionis planè supponit realem Christi præsentiam; si enim tantum esset panis materialis, & vinum significans corpus & sanguinem Christi, ut voluit Calvinistæ, non plus sanctitatis haberet, nec plus venerationis exigeret, quàm panis quotidianus impersâ cruce insignitus, quem cum immunda conscientia fumere non est peccatum. Unde pulcherrimè S. Chrysostomus hom. 24. in cit. epist. 1. ad Corinth. volens Fideles ad devotam Corporis Domini in Eucharistia susceptionem exhortari, de corpore Domini sic scribit: Cum honore & munditia omni ad DEUM accedamus; & quando id propositum videris, dic tecum, propter hoc corpus non amplius terra & cinis ego sum: propter hoc calum, & ea, quæ in eo bona sunt, me accepturum spero: hoc corpus affixum, verberatum, morte victum est hoc idem corpus crenatum, lanceâ vulneratum, fontes sanguinis & aqua universo orbi salutaris scaturivit &c. Et post mediam pag. in hoc corpore in præsepi reveriti sunt Magi longo itinere confecto cum timore & tremore plurimo adoraverunt. Invenimur saltem barbaros nos, qui calorum cives sumus; illi enim, cum id præsepi & tugurium tantum, neque eorum quicquam, quæ tu nunc intueris; viderent, summâ accesserunt reverentiâ & honore: tu verò non in præsepi id, sed in Altari, non mulierem, quæ in ulnis teneat, sed Sacerdotem præsentem & spiritum perabunde super proposito diffusum sacrificio vitæ: nec simplex ut illi corpus intueris, sed ejus potentiam & omnem cognoscis administrationem. Excitemus igitur, horrefcimusque & majorem quàm Barbari illi præ nobis feramus pietatem. Et paulò infra: Animadvertis, quoniam pacto, quod omnium maximum atque præcipuum est in terra, non conspicaris tantum, sed tangis, neque solum tangis, sed comedis, & eo accepto domum redis &c. Hacten. Chrysostomus nobilissimus Pauli Interpres peritissimè docens, quod corpus Christi in Altari præsens sit, sicuti olim in præsepi fuit: & quod Fideles non in cælo, sed illud corpus Christi in terra comedant, atque idem propositum videant, ac secum domum ferant &c. quis autem tanto Patri auri oris Calvinum graveolentis halitus præferat, nisi de arcadici pecoris, non de hominum numero sit?*

XIII. Addi possunt Miracula plura novâ & antiqua, quibus Christus suam realem præsentiam testatus fuit. Multis enim Sanctis in Hostia visibilem se præbuit, hodièque in multis locis asservantur Hostiæ, in quibus vel particulæ carnis, vel aliæ hujusmodi miraculosæ immutationes apparent. Paulus Diaconus in vita S. Gregorij refert de quodam hæretico, cum S. Hostiam per contumeliam deglutire conaretur, illam fuisse versam in lapidem in ejus gutture. Justa sanè punitio, ut is, qui credere noluit, panem verti posse in Corpus Christi, experientia disceret, verti posse in lapidem. Beatus Optatus Milevitanus Lib. 2. contra Parmen. refert, Episcopos Donatarum, cum Sacram Hostiam suis canibus objicerent, ab iisdem fuisse scedè dilaceratos. Sed hæretici vel negant hæc & similia facta: vel affirmant, ope dæmonum parata fuisse. Scilicet tot, tantisque Historicis si-

dem non dabimus, & pauculis Novatoribus credemus? Demum licet realis istius præsentia ratio potissimâ sit voluntas & institutio Christi, suaderet tamen eadem tum ex perfectione novæ Legis, cujus sacrificio maximè congruit non umbratilis repræsentatio Christi secundum Humanitatem absentis, quæ antiquæ Legis erat propria. tum ex summa charitate Christi erga nos, quæ eò solet inclinare, ut scilicet amico, quoad fieri potest, se associet; quod Christus ita miro modo præstitit, ut præsentia suâ in exilio nobis concederet quidem solatium, patriæ tamen adhuc relinqueret desiderium. tum ex exercitio fidei nostræ, dum Christum invisibiliter præsentem, & multa atque ingentia, quæ interveniunt, miracula, credimus. Videri potest Suarez Disp. 46. Sect. 7.

XIV. *Doctrina octava.* Non solum Caro & Sanguis, sed etiam anima & Divinitas, adeoque totus Christus in hoc Sacramento realiter continetur. Ita omnes de fide tenent Catholici ex Concilio Constantiensi Sess. 13. Basileensi Sess. 30. Florentino in decreto Eugenij de Sac. Eucharistia. Et novissimè ex Tridentino Sess. 13. can. 1. ubi sic statuitur: *Siquis negaverit in SS. Eucharistia Sacramento contineri verè & substantialiter Corpus & Sanguinem unâ cum anima & divinitate Domini nostri JESU Christi, ac proinde totum Christum, anathema sit.* Idem habent SS. Patres, atque imprimis S. Andreas Apostolus, qui (ut referunt Presbyteri Achaia in ejus vita) Judici Aegæ, ut Dijs immolaret, urgenti sic respondit: *Ego Omnipotenti DEO immaculatum Agnum quotidie offero; qui cum sit sacrificatus, & carnes ejus verè à populo manducata, integer perseverat & vivus.* Convincit ratio connexionis, ut expressè tradit Tridentinum Sess. 13. cit. can. 3. quæ requirit, ut ubicunque ponitur unum extremum, debeat saltem conaturaliter, & per concomitantiam poni & alterum. Quamvis ergo verba consecrationis plus non exprimant, quàm Corpus & Sanguinem, adeoque vi verborum hæc sola adsint, tamen per dictam concomitantiam & connexionem cum corpore & sanguine Christi etiam Anima & Divinitas adducuntur, jam enim Christus est immortalis, & mori amplius non potest ad Roman. 6. v. 9. *Christus resurgens à mortuis, jam non moritur; mors illi ultra non dominabitur.* Ergo etiam Anima debet adesse; alioquin corpus esset mortuum. Deinde corpus & anima per unionem hypostaticam indissolubili nexu cum divinitate copulantur. Ubi ergo adsunt corpus & anima, oportet etiam divinitatem, adeoque totum Christum adesse, sicuti exponit Tridentinum Sess. 13. cap. 3. Imò etiam Pater & Spiritus Sanctus per concomitantiam sunt in hoc Sacramento, ut tanquam indubitatum tradit Card. Lugo D. 8. de Euch. n. 125. alijque Theologi; quia propter conjunctionem cum Verbo debent ibi adesse non tantum, sicuti in cæteris rebus creatis, sed speciali titulo, ita ut si per impossibile non essent ubique, deberent esse in Eucharistia. Verùm hic discursus licet de Corpore Christi bene procedat saltem post resurrectionem Christi, tamen de Sanguine videtur aliquam habere difficultatem; quia juxta communem Philosophorum doctrinam, quam alibi tenui, sanguis non vivit. Ergo non habet connexionem cum anima. Sed Theologi Scholastici rem ita declarant, ut nomine Immortalitatis non tantum excludatur mors, sed etiam qualibet divulsio

divulso partium in corpore vivo existentium. Cum ergo sanguis corpori vivo adhæreat, etiam in Sacramento conjunctus esse debet, tamen non vivat. Et quidem totus sanguis ponitur, non quem unquam Christus habuit, sed quem habet tempore consecrationis extra Sacramentum v. g. jam ponitur totus, quem habet in cælo: in ultima verò cœna totus fuit positus, quem tunc habuit, cujus tamen aliqua particula usque ad tempus passionis vel virtute nutritiva conversæ sunt in carnem, vel in passione effusæ adhæserunt cruci, clavis, flagris, nec resumptæ fuerunt.

XV. *Doctrina nona.* Christus totus inest singulis quoque partibus seorsim: imò sub qualibet etiam earum parte. Primam partem tenent omnes Catholici de fide ex Concilio Tridentino Sess. 13. can. 3. & sequitur ex recens dictis, ubi ostendimus, nec corpus nec sanguinem sine reliquis partibus ad integritatem pertinentibus consistere posse, ne Christus mortuus aut mutilus appareat. Alteram quoque partem intellectam de partibus separatis v. g. fragmentis Hostiæ de fide omnes tenent Catholici ex Tridentino loc. citato: *Siquis negaverit, in Venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, & singulis cujusque speciei partibus separatione factâ totum Christum contineri, anathema sit.* Quod etiam colligitur ex prima communionem Apostolorum Luc. 24. qui panem à Christo consecratum inter se dividerunt, & tamen singuli totum Christum acceperunt, ne instar Agni paschalis dilaceraretur. Si autem loquamur de partibus specierum adhuc conjunctis & unitis, non est de fide, quod singulis partibus totus Christus inest. At nihilominus est certum ex fundamentis Theologicis. Quia Christus in Speciebus Eucharisticis non existit divisibili modo expansus, ut in hac parte sit caput, in alia manus &c. sed indivisibiliter, ut totus in toto, & totus in qualibet parte sit. Sicuti anima rationalis suâ naturâ indivisibilis ita diffunditur per totum corpus, ut in qualibet etiam minutissima parte tota existat, quasi sæpius repetita & replicata. Confirmatur ex allata Concilij definitione de partibus separatis. Si enim post separationem Christus totus est in qualibet parte, tum etiam ante separationem ibi fuit, quia per separationem de novo non producitur, cum nulla nova fiat Consecratio. Sed de hoc Scholastici.

XVI. *Doctrina decima.* Christus non tantum est totus in usu communionis, sed etiam ante & post, quamdiu species consecratæ ita manent incorruptæ, ut substantia panis & vini, si adesset, naturaliter sub illis maneret: corruptis autem speciebus Christus non corrumpitur, sed subsistens esse definit. Ita de fide tenent Catholici ex Tridentino Sess. 13. can. 4. ubi sic statuit: *Siquis dixerit, peractâ consecratione in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse Corpus & Sanguinem Domini nostri JESU Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante & post: & in Hostijs seu particulis consecratis, quæ post communionem reservantur, vel supersunt, non manere verum corpus Domini, anathema sit.* Ratio desumitur ex Verbis Christi, qui ante communionem dixit: *Hoc est Corpus meum. Hic est Sanguis meus.* Ergo illorum præsentia non pendet à communionem. Porro cum vi consecrationis corpus & sanguis Christi substantiæ panis & vini succedant, utique tam diu manebunt, quamdiu substantia destructa ma-

neret ibi, ut communis tenet sententia cum S. Thoma 3. Part. Q. 75. art. 6. ad 3.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

XVII. **E**rror primus est Berengarij Ecclesiæ Antevagenses Diaconi circa annum 1050. qui pertinaciter negavit, præsentiam Christi in Eucharistiâ, & idcirco damnatus fuit in varijs Concilijs, ut in Romano, & Vercellensi sub Leone IX. item in Turonensi II. ubi etiam primò eandem hæresin abjuravit. Postea in Concilio generali Romano sub Nicolao II. ubi relapsus iterum hæresin abjurare fuit coactus, ut habetur de Consecrat. Dist. 2. can. Ego Berengarius. Sed ad vomitum rediens in alio Concilio Romano sub Gregorio VII. quintò damnatus veram fideli confessionem tertio repetivit, ubi etiam serò eum respuisse, ac postea piè mortuum fuisse, refert Guilielmus Bibliothecarius Lib. 3. de gestis Anglorum. Hunc errorem deinde anno 1380. propugnavit Wicleffus in Concilio Constantiensi propterea damnatus. Postremò eandem hæresin circa annum 1522. primus renovavit Andreas Carlstadius Diaconus Wirtenbergensis antea quidem Lutheri in hæresi excitanda socius, deinde verò Adversarius & hostis. Hunc deinde secuti sunt Zwinglius, Oecolampadius, Bullingerus, Ochinus, Pet. Martyr, Calvinus & cæteri ex Zwinglio & Calvino propagati, qui Novatores communis hodie nomine Sacramentarij vocantur, quia scilicet negant realem Christi præsentiam in hoc Sacramento, affirmantes hoc Sacramentum esse solummodo signum corporis & sanguinis Christi, sicut sunt verba & imagines. Videantur DD. à Walenburg Tom. 2. à fol. 313. ubi tam publicas sententias Reformatorum contra realem præsentiam, quam privatas opiniones aliorum Reformatorum pro reali præsentia Christi in Eucharistiâ referunt. Probant illi impiam & perniciosam suam hæresin primò varijs sacre Scripturæ testimonijs, ut videre est apud Molinæum fuse à fol. 1000. Amesium Tom. 3. à fol. 84. & alios 1. habetur Luc. 22. v. 19. in verbis Institutionis: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem.* Unde sic argumentantur. Si memoria in hoc Sacramento peragitur, tunc Christus non est realiter præsens, quia memoria est rei absentis. Sed in hoc Sacramento peragitur memoria Christi juxta cit. verba. Ergo &c. 2. habetur Genf. 9. v. 4. Et Levit. 17. v. 14. ubi prohibetur comestio carnis & sanguinis, unde sic ratiocinantur. Si Christus in ultima cœna suis Discipulis dedisset carnem & sanguinem, tunc violasset legem Mosaicam, cum tamen fuerit semper studiosus legis. 3. habetur Matth. 26. v. 29. Et Marci 14. v. 22. ubi Christus post sumptum Calicem ait: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis.* Unde sic discurrunt. Si in calice fuit genimen vitis, id est, vinum, tunc non fuit sanguis Christi, qui non est genitus ex vite. Sed verum est Anteced. ex cit. verbis Christi. Ergo consequens. 4. habetur Act. 3. v. 21. ubi S. Petrus pro condicione dixit,

dixit, Christum JESUM oportere calicem suscipere usque in tempora restitutionis omnium: Et 1. Cor. 11. v. 26. ubi Apostolus scribit: quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem biberis, mortem Domini annuntiabitis. Unde sic arguunt. Si Christus Dominus semper manet in cælo, nec unquam venit in terras ante ultimum diem iudicii, tunc non est realiter præsens in Sacramento super terram posito. Sed verum est antec. Ergo & consequens, ut patet ex cit. loc. Apostolor. 5. habetur ex Joan. 6. v. 64. ubi Christus ait: Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam. Unde sic argumentantur. Si caro nihil prodest, tunc frustra esset in hoc Sacramento. Sed verum est antec. ex cit. verbis Christi. Ergo & c. 6. habetur Matth. 26. v. 11. ubi Christus ait: semper pauperes habebitis, me autem non semper habebitis. Unde sic arguunt. Si Christus esset in hoc Sacramento, tunc semper illum nobiscum haberemus asservatum in ciborijs. Sed consequens repugnat citatis Christi verbis. Ergo & Anteced. 7. habetur Luc. 24. v. 39. ubi Christus post resurrectionem suam apparetur Discipulis ait: Videte manus meas & pedes meos, quia ego sum ipse, palpate & videte. Unde sic ratiocinantur. Si talis est res, qualis oculorum visu & manuum tactu judicatur, tunc istud Sacramentum nihil est aliud, quam panis & vinum, quia nihil aliud visus & tactus judicare potest. Sed antecedens supponit Christus loc. cit. Ergo & Conseq. 8. habetur Psal. 113. v. 5. ubi David idola deridens cantat: Os habent, & non loquentur, oculos habent, & non videbunt, manus habent, & non palpabunt, pedes habent, & non ambulabunt &c. Unde sic arguunt. Si Christus DEUS noster realiter esset in hoc Sacramento, tunc Gentiles eodem illi ludibrio objicere possent, quæ nos idolis objicimus; quia nullum sensum aut motum ostendit, si in terram cadat, jacet immortus, nihil loquitur instar idoli, quæ sunt planè absurda, & Christo ignominiosa. Ergo & id ex quo sequuntur, scilicet realis præsentia Christi in Sacramento. 9. habetur 1. Cor. 10. v. 3. Patres nostri eandem escam spiritualem manducaverunt, & eundem potum spirituales biberunt. Atqui, subjungunt Sacramentarii, Patrum nostrorum esca & potus non fuerunt caro & sanguis Christi. Ergo nec nostra esca & potus sunt caro & sanguis Christi, sed hæc spiritualiter tantum in pane & vino illorum signis sumuntur.

XVIII. Probant secundò ex Sanctorum Patrum doctrinis, qui quatuor dogmata tradunt, quæ cum reali præsentia Christi in Eucharistia consistere non possunt. 1. dicunt pronomen Hoc in forma consecrationis designare panem, qui non est Christus; sic loquuntur Cyrillus Jerosolymitanus catech. 4. Clemens Romanus Lib. 1. Instit. cap. 17. Iræneus L. 4. adversus hæres. c. 34. & 37. Cyprianus Lib. 1. epist. 6. Hieronym. epist. ad Hedi- ciam. q. 2. Theodoretus dialogo. 1. &c. Atqui de pane non potest verè prædicari corpus Christi, cum sint specie distincta. Ergo prædicatum hujus propositionis: Hoc est corpus meum, non est Corpus Christi. 2. dicunt, hoc Sacramentum esse figuram, Symbolum, signum, Corporis & Sanguinis Christi, ut Clemens Roman. Lib. 5. Instit. c. 16. Dionys. Areopag. L. 6. de Hierarch. Ecclesiast. c. 23. Tertullianus de Resurrect. carnis c. 37. & Lib. 4. contra Marcionem c. 40. Hieronym. Lib. 2. in Jovinianum. S. Chrysof. hom. 43. in Joan. Gregorius Nazianzenus orat. 11. in laudem Soro-

ris. Ephrem de natura DEI &c. Atqui signum & significatum, figura & figuratum realiter distinguuntur. Si ergo hoc Sacramentum est signum & figura Christi, non est ipse Christus. 3. dicunt. Christum in hoc Sacramento non sumi à malis, sed tantum à bonis. Ut Hieronymus in cap. 66. Isaie. Augustinus Lib. 21. de Civit. DEI. Prosper sententia 339. Atqui si Christus realiter in hoc Sacramento contineretur, tum quicumque Sacramentum acciperent, sive boni sive mali, Christum acciperent. 4. dicunt Patres, Christum in hoc Sacramento non comedi corporaliter, sed spiritualiter per fidem. Ut Ambrosius L. 10. in Luc. c. 24. & de Sacramento. Cyprianus de sermone Domini &c. Atqui si substantialiter adesset, corporaliter manducaretur. Probant tertio ex tribus absurdis, quæ contra naturalem rationem ex reali Christi præsentia sequi videntur. 1. est, quod tantus vir, quantus fuit Christus, sub tantilla particula delitescat. 2. quod simul sit in cælo & in terra, & in plurimis disjunctissimis locis, ubi hostiæ consecrantur. 3. absurdum, quod omnibus hominum & bestiarum injurijs sit expositus & in stomachum sordidum descendat, atque à muribus devoretur, pedibus concalceetur, in cloacam projiciatur, quæ planè indigna sunt divina majestate, & glorioso Christi corpore.

XIX. Porro conantur Hæretici probationes nostræ Catholicæ doctrinæ pro reali Christi præsentia à S. X. adductas dissolvere. Primò igitur ad loca Scripturæ sic respondent. Joannis 6. ubi Christus ait, panem, quem ipse daturus esset, carnem suam fore; ea verba non de Sacramentali communione, sed de spiritali sumptione per fidem intelligenda; sicuti ipsemet declaravit v. 64. Verba, quæ locutus sum vobis, Spiritus & vita sunt, id est spiritaliter intelligenda. Affert etiam Amesius loc. cit. hæc verba Cajetani in allegatum textum: Manifestissimè explicat panem hunc fore passionem & mortem suam, dicendo, quod panis, quem ego dabo, est caro mea, non mystica, non spiritualis, sed quævis ego dabo, & dicendo dabo, significat voluntario dono se passurum ac moriturum. Præter Cajetanum allegat Molinæus Gabrielem Biel, Cusanum, Tapperum, Jansenium, Ferum, & maximè Innocentium III. Papâ libr. de myst. Miss. c. 14. Matth. 26. agi quidem de Sacramento, sed nihil inde probari pro reali præsentia Christi, cum tota vis hujus argumenti ponatur in verbo Est: Hoc est Corpus meum; & tamen Christus eo verbo non sit usus; quippe hebraicè fuit locutus, quæ lingua nullum habet verbum præsentis temporis. Et quamvis fuisset additum verbum est, tamen sumendum foret pro significat hoc sensu: Hic panis significat corpus meum; sicut passim in Scriptura accipi solet, ut Genes. 17. v. 13. circumcisio vocatur sedes, id est, signum fœderis. Exodi 12. v. 13. Agnus Paschalis dicitur Phasæ seu transitus Domini, id est, significans transitum Domini in communi clade Judæos transeuntis. Luc. 8. v. 12. dicitur: Semen est Verbum DEI, id est, significat Verbum DEI 1. Cor. 10. v. 4. dicitur: Petra erat Christus, id est, significat Christum. ad Gal. 4. v. 24. Vetus Testamentum est Agar, hoc est, significabatur per Agar ancillam Abrahamæ. 1. Cor. 11. Apostolum gravitatem peccati & poenam indignæ communionis valde quidem exaggerare, inde tamen non sequi, Christum in communionem realiter adesse, quandoquidem etiam aliorum Sacramentorum, in quibus Christi non

stus non est, indigna perceptio magnum scelus est, & gravi poenâ dignum, ut fatentur Pontificij. Imò Paulus 1. Cor. 10. v. 5. verbis claris dicit, ple-rosque Manna & Aquam Petræ indignè sumen-tes iudicium sibi sumpisse. *Secundò ad loca Patrum à nobis adducta respondent*, se illos non curare, cum fuerint homines fallibiles, & potuerint errare, nec inter se conspirent, sed alij pro nobis, alij pro ipsis facere videntur. Imò, teste Calvino in ultima admonitione ad Westphalum, constat vetu-istos omnes scriptores, qui totis quinque sæculis post Apostolos vixerunt, uno ore ipsis patrocina-ri. *Tertiò miracula deident tanquam ficticia vel magica, quæ vel nunquam facta fuerunt, sed à nobis excogitata, vel si quando facta, ope dæ- monis patrata ad nos in errore confirmandos. Quodsi etiam fuerint vera miracula à Deo facta, non ex eo sequi, Christi corpus naturaliter adesse. Demum doctrina non ex miraculis æstimanda, sed ad normam verbi DEI examinanda, sæpissi- mē falsæ doctrinæ miracula ornata fuerunt.*

XX. Errori huic veram ac realem Christi præ- sentiam in SS. Eucharistia neganti adversatur in- primis Sac. Scriptura, & Evangelistarum con- sensus. Matthæus c. 26. Lucas cap. 22. Marcus c. 14. affirmant, dixisse Dominum: *Hoc est corpus meum.* Et Joan. c. 6. *Caro mea verè est cibus: & San- guis meus verè est potus.* Accedit Apostol. 1. Corinth. 10. v. 16. *Calix, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi? Et c. II. cit. quicumque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis &c.* Jam verò verba Scri- pturæ propriè accipienda esse, clamant indefi- nenter ipsimet Prædicantes ex generali regula à D. Augustino tradita. Cur igitur hic ab expres- so Verbo DEI ad figuras & metaphoras descen- dunt? cum proprius sensus hic quàm maximè sit attendendus & retinendus. 1. Quia verba illa Testamentum seu Voluntatem ultimam Testato- ris continent; hanc autem proprijs & claris ver- bis exprimendam esse, quis dubitet? Nam si quis moriens ex Catholicis Amefio, Molinæo aut cui- cunque alteri ex Calvinistis legasset equos suos, num contentus iste foret aut esse posset, si hære- des pictos ipsi equos obrudere vellent? An non Testator ideo testamentum condit, ut pacem in- ter hæredes firmet, cavea; que, ne qua occasio sit inter eos dissentendi? quomodo autem hoc effi- ceret, si metaphoris & improprijs vel amphibo- logicis intricatisque verbis uteretur? Atqui Chri- stus Dominus hic testamentum condit, unde ait: *hic est calix novi Testamenti.* Atque hoc ipsum Sacra- mentum instituit ad unionem Christianorum con- ciliandam. Quomodo ergo sibi ipse contrarius erit? 2. Quia verba illa institutionis Eucharisti- cæ legem continent: *hoc facite in meam commemo- rationem.* Verba autem legis, nisi clara, expressa, & propria sint, Legislatoris insipientiam arguunt, & facile eos, qui contra legem agunt, excusat; quippe dicere possunt subditi, si Legislator ob- servari vult legem suam, apertè nobis loquatur. 3. Quia eadem verba continent donum juxta id Joan. 6. cit. *Panis, quem ego dabo vobis, caro mea est, pro mundi vita.* Jam si Princeps aliquis Catholicus Amefio, Molinæo, aut cuicumque Calvinistæ Ca- strum aliquod seu Arcem promitteret, postea ve- rò Arcem seu Castrum in tabella depictam mitte- ret; quæro, num hæc liberalitas homine inge-

nuo ne dum Principe digna esset? Et si conque- rente Calvinista, Princeps reponeret, ne indignè- retur Amefius, Molinæus aut quisvis Calvinista donatarius; siquidem Arx seu Castrum pictum modo quoddam per metonymiam vera Arx seu Castrum dici potest. An non magis rideri se ex- stimaret, & de Principis infidelitate conque- reretur? Absit ergo, ut dicamus, Dominum nos- trum tam Munificum & prædivitem illudere no- bis voluisse, & pro Corpore suo gloriosissimo, quod promissit, figuram ejus tantummodo dare voluisse.

XXI. Accedit. Si in Sacramento Eucharistiæ verum Christi corpus non continetur, indignè e- git Christus cum Ecclesia sua, quam per univer- sum orbem totis mille & quingentis annis in ta- li errore atque idololatria occasione suorum ver- borum reliquit; imò doctrinâ Doctorem, exem- plo Majorum, magnitudine ac multitudine mi- raculorum in eadem firmatos vi quædam desi- nuit. Nam tolerabilior esset error illorum, qui pro DEO colunt statuam auream aut argenteam seu alterius materiæ imaginem, quo modo Gentiles Deos suos venerabantur: vel pannum rubrum in hasta elevatum (quod de Lappis narratur) vel viva animalia, ut quondam Ægyptij, quàm isto- rum, qui fructum panis tantopere colunt atque adorant, quod hætenus (ut clamitant Calvini- stæ ac Sacramentarij) per universum orbem tot- annis fecere Christiani. Neque hic excusat sim- plicitas antecessorum; siquidem veram realem- que Christi præsentiam in Eucharistia tot genera- lia Concilia omni studio decreverunt: sapientis- simi Patres Dionys. Areopagita, Justinus Martyr, Irenæus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius Magnus Papa &c. tradiderunt: om- nes Fideles cujuscunque status in universa Eccle- sia omnibus retro annis tenuerunt. Quis autem hoc de Sapientissimo, Justissimo, & Pijissimo Deo ac Salvatore nostro persuadere sibi possit, ita sci- licet illum tot annis deservisse universam Eccle- siam suam, ut omnibus idololatriæ esset impietate suâ deterior. Hinc Erasmus cætera non bonus ex lumine tamen naturæ bene scripsit in epist. ad Ludovicum Berum: *Nunquam mihi persuaderi po- tuit, neque poterit, Christum, qui veritas est & Charitas, tamdiu passurum fuisse dilectam Sponsam suam hære- re in errore tam abominabili, ut frustulum farinaceum pro ipso adoraret.* Dicit Amefius fol. 90. omni ex parte falsum esse, Testamentum, Legem, Donum &c. respuere figuratam locutionem: & in oppo- situm aliquot assert exempla ex Sac. Scriptura. Sed argumentum nostrum non procedit de qui- buslibet Tropis, sed de Metaphora & metony- nymia, quibus rei veritas aufertur, ut accidit in præsentia. Adhæc etsi in uno loco nonnulla ali- cubi figuratè in Scriptura proponantur, alibi ta- men eadem proponuntur propriè, ut sunt plera- que exempla, quæ Amefius hic obrudit; non- nulla specialiter recurrunt in his controversiis. Argumenta in contrarium ex Amefio, Pet. Mo- linæo, And. Callia, alijsque Calvinistis allata solum difficilia non sunt, nec multitudine suâ nos obruant.

XXII. Respond. primò ad testimonia ex Sac. Scri- ptura. Nullum unquam hæreticum fuisse, qui non prius ab Ecclesiæ Catholicæ doctrina se di- screvit, & perversum suum dogmâ multis Sac. Scripturæ verbis malè intellectis stabilire studuit. Sicut

Sicut etiam Satan in deserto per intellectum Scripturæ pravum decipere Christum voluit. Sed contra fallaces hœc incurfus stant immoti Catholici, tenenque veluti inexpugnabile scutum aniversalis ac Sanctæ Ecclesiæ sensum ac Scripturarum interpretationem, quam ex promissa divini Spiritus assistentia errare non posse novērunt. Unde impræsentiarum omnia testimonia Sæctariorum ex Sacra Scriptura allata excipiunt velut sagittas parvulorum, quæ sunt factæ plagæ eorum. At 1. testimonium ex Luc. 22. cum Bernardino Verweis in Speculo Eccles. L. 15. cap. 3. art. 2. Sæpius nos moneri in Sac. Litteris ut DEI meminerimus, qui tamen præsens adest, sed invisibilis. Non rarò rogamus etiam DEUM, ut nostri meminerit, qui tamen semper nos ante oculos præsentis habet. Principes quoque in memoriam suarum victoriarum annuos triumphos solent instituire, quibus præsentis interfunt, licet alio statu non jam pugnantes, sicuti tunc fuerunt. Et vulgares etiam homines quorundam celebrant suum natalem in memoriam suæ nativitatæ, quamvis idem ipsi coram adsint, qui tunc fuerunt, sed non amplius in statu infantili. Quare ad memoriam alicujus rei sufficit, si illa vel non sit visibilis, vel in alio statu, quam prius fuerit; id quod etiam in Christo accidit, qui in Sacramento longè aliter adest, quam in passione adfuerit; etenim ibi fuit visibilis & patibilis: in Sacramento autem est invisibilis & impatibilis. Ad 2. ex Gen. 9. & Levit. 17. tantum sensibilem & cruentam comestionem fuisse prohibitam, qualis non fit in Eucharistia, ubi nec caro nec sanguis Christi sensu percipitur. Videatur Tirinus in cit. loc. ubi inter alias hanc rationem istius præcepti adducit ex D. Chrysof. hom. 27. ne homines astuescendo sanguini bestiarum tandem humano non parcerent, quæ non procedit de sumptione Sac. Eucharistiæ. Ad 3. ex Matth. 26. & Marco 14. cum Becano in Manuali L. 3. c. 6. num. 36. Christum verba illa: *non amplius bibam de hoc genimine vitis &c.* non dixisse post sumptionem calicis consecrati, sed post propinationem alicujus haustûs profani more Judæorum instituti, ut constat ex Luc. 22. v. 17. & 18. ubi duplicis calicis propinationem describit; unam ante consecrationem, ubi ea verba fuerunt dicta, licet Matthæus immutato ordine alteri propinationi calicis consecrati illa postposuerit. Itaque in Adversarios retorqueri potest hoc argumentum. Si Christus ante calicem consecratum dixit, se non amplius bibiturum vinum, tunc in calice consecrato (uncæ & ipse tanquam propinator bibisse poterit) non erat vinum. Tirinus loco cit. ait, Christum genimen vitis vocare partim species vini adhuc reliquas (etenim hæc revera natæ sunt ex vite) partim vinum omne profanum, quod in mensa vel hydrijs supererat, quâ ratione cessat omnis difficultas; sicut etiam si quis diceret, Christum usum fuisse ampliacione, quod est vel fuit vinum, quo modo cæci dicuntur videre, id est, qui sunt vel fuerunt cæci.

XXIV. Ad 4. testimonium ex Act. 3. Quamvis Christus realiter sit in hoc Sacramento, tamen nihilominus eum semper manere in celo; quia simul potest esse in pluribus locis. Cum autem negat, Christum venturum esse in terras ante ultimum Judicij diem, intelligendum est illud de modo visibili, ut omnibus sit conspicuus; etenim

in Eucharistia later absconditus, nec nisi rarò se videndum dedit. Videri potest Verweis loc. cit. cap. 2. art. 3. ubi pluribus de hoc argumento agit. Ad 5. ex Joan. 6. Christum illis verbis: *Caro non prodest quidquam; Spiritus est, qui v. vivificat;* indicare solum, nolle se homines alere carne suâ corporaliter, sicut alimus carne vitulinâ, sed spiritualiter, & sub modo existendi spirituali monducari se oportere, quasi diceret, non debetis tam crasse & carnaliter verba mea apprehendere, quasi instar vituli in macello essent devorandus; quamvis enim meum corpus, quod vobis manducandum dabo, quoad substantiam sit vera caro, tamen quoad modum comedendi, & quoad effectum nutritionis multum differt à carnali cibo; quia integrè & sine dilaceratione comeditur, & spirituale nutrimentum gratiæ omnibus confert. In prædictum modum exposuit illa verba S. Augustinus tract. 27. in Joan. qui proinde, cum in Psal. 89. docet, illud Joannis 6. esse spiritualiter intelligendum, non intendit, ut illum explicat D. Thomas q. 75. art. 1. quod Corpus Christi sit in hoc Sacramento solum secundum mysticam significacionem, sed spiritualiter, hoc est, invisibili modo. Ad 6. ex Luc. 24. Christi argumentum ab experimento sensuum desumptum procedere in rebus sensui expositis, uti tunc erat redivivus: secus de rebus insensibilibus, prout est in Eucharistia. Distinguitur igitur Major. Talis est res, qualis apparet sensibus, nisi error sensuum certâ ratione corrigatur, conceditur: secus negatur. Sicut ergo baculus in aqua videtur fractus, cum tamen sit integer, sic in Eucharistia apparet substantia panis & vini, cum reverâ non adsit; sed quemadmodum deceptio oculorum in baculo per rationem, ita sensus hallucinantes in Eucharistia per fidem corriguntur.

XXV. Ad 8. ex Psal. 113. nos non asserere, sensibiles species Sacramenti esse DEUM, sicut Gentiles de suis statuis sentiebant. Ergo irrideri merito non possumus, sicuti juremeritissimo ridentur Gentiles, & à Patribus Achanasio, Cypriano, Lactantio, Tertulliano, Justiniano & alijs passim reprehenduntur. Instant. Gentiles multi non putabant, ipsas naturales statuas esse Deos, sed Spiritus in eis latentes, sicut Christus later in Sacramento. Ergo adhuc est paritas inter Catholicos & Idololatrias. Respon. cum Tirino & alijs Interpretibus Scripturæ in cit. psalium. Davidem contra tales hæreticos non fuisse arguentatum, alioquin nihil probasset. Pro cuius intelligentia sciendum est, triplicem fuisse Gentilium opinionem de suis idolis. *Primo*, aliqui stupidissimè putabant, ipsas naturales statuas ab hominibus factas esse Deos, id quod hodie quoque faciunt in Indijs non pauci; & contra hanc stultissimam opinionem procedunt argumenta Davidis & aliorum Prophetarum ex insensibilitate & immobilitate petita; etsi enim interdum loquerentur, tamen nec labia nec oculos movebant more viventium, ut vel hinc appareret, ipsos non loqui, sed aliquid in eis latens. *Secundo* alij intelligentiores existimabant, non ipsas statuas esse Deos, sed aliquem Spiritum in eis latentem, contra quos non procedunt argumenta Davidis, sed aliter refutandi sunt; scilicet quod DEI majestatem non deceat, tam angusto habitaculo includi. Nos autem dicimus, Christum non ita

includi, ut alibi non sit, sed quoad divinitatem est ubique, & quoad humanitatem etiam in cælo. Tertio adhuc ingeniosiores opinabantur, nec statuas secundum se esse Deos, nec Spiritus in ipsis inclusos, sed in cælo habitantes & per Imaginem duntaxat representatos, sicuti nos de Imaginibus Sanctorum ratiocinamur. Et contra hos etiã non militant Davidis argumenta, sed alijs telis impugnandi sunt, v.g. quod illi Spiritus per imagines representati non habeant divinas perfectiones æternitatis, immensitatis, omnipotentia, sed fuerint mortales homines propter apparentes quasdam virtutes in cælum ipsorum opinione translati. Ad 9. denique & ultimum ex Sac. Scriptura testimonium jam supra nos dixisse, Adversarios hic bis peccare. Nam in primis Apostolus non dicit, Judæos manducasse eandem nobiscum escam, sed ipsos inter se eandem escam manducasse; vult enim ostendere, tamen omnes tam boni, quam mali perceperint eadem Dei beneficia, non tamen omnes placuisse DEO. Deinde Apostolus non loquitur de manducatione spirituali per fidem, quæ juxta Calvinistas propria est Electorum, sed loquitur de manducatione, quæ communis erat bonis & malis, ut ex ipso textu patet. Dato etiã, non concessio, Patres nostros sub Veteri Testamento eandem spiritualem escam, & eundem spiritualem potum nobiscum sumpsisse, non sequitur, nos in Novo Testamento non fumere aliter. Veteres enim fideles & Iusti eundem Christum sumpsisse solã fide & in figura: Nos autem eundem sumimus verè DEUM & hominem. Corpus & Animam, Carnem & Sanguinem, non typicè aut tropicè, sed realiter & substantialiter. Ecce quomodo ex Scriptura nihil contra nos evincatur.

XXVI. Respond. *Secundo ad auctoritatem Patrum*, dupliciter graviterque in hos peccare hæreticos. 1. quod apertè repugnent Patribus. 2. quod nihilominus plebi persuadeant, Patres pro ipsis stare. Nam imprimis multi ex vetustissimis Scriptoribus expressè docent, panem & vinum Eucharisticum substantialiter mutari in carnem & sanguinem Christi, ut Cyprianus, Gregorius Nilivus, Ambrosius, Cyrillus Hierosolymitanus supra citati &c. Ergo ex illorum sententia Christus secundum carnem & sanguinem verè est præsens in Eucharistia. Deinde alij disertè affirmant hanc Christi præsentiam, ut Origines hom. 5. in diversa loca Evangelij sic scribens: *Quando manducas & bibis Corpus & Sanguinem Domini, tum Dominus sub tectum tuum ingreditur.* Hilarius Lib. 8. de Trinit. de veritate, inquit, *Corporis & Sanguinis non est relictus ambigendi locus; nunc enim & ipsius Domini professione, & Fide nostra verè est caro, & verè est sanguis.* S. Augustinus in Psal. 33. conc. 1. circa hunc ejusdem psalmi titulum, & ferebatur in manibus suis, sic scribit: *Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum ait, Hoc est corpus meum &c.* Demum nemo unus Patrum solam manducationem spiritualement docuit, excludendo Sacramentalem, quam utramque & spiritualement & Sacramentalem manducationem idcirco nos Catholici simul affirmamus; nec Amestus negare prorsus audeat ajens fol. 87. spiritualement manducationem esse rem & animam illius, quæ est Sacramentalis; quantumvis aliàs homo vanus SS. Patres de Sacramentali manducatione Scripturam interpretantes fuscque deque habeat.

XXVII. Nobis Patres S. XVIII. adducti non adversantur. Nam cum 1. dicunt, pronomen Hic & Hoc designare Panem & Vinum, intelligunt cum ampliacione, quod est, vel fuit panis & vinum; quæ responso abunde satisfacit argumento hæreticorum; cæterum quomodo Scholastici eadem exactius expendant, diximus supra S. IX. cum 2. dicunt, hoc Sacramentum esse signum & figuram Christi, loquuntur de speciebus Visibilibus, sub quibus latet Christus; etenim sicca species panis representat oculis Christi corpus axangue ac mortuum: fluidus verò liquor vini representat essulum sanguinem atque mortem Christi effuso sanguine causatam. Notat autem Becanus loc. cit. num. 20. has duas propositiones distinguendas esse: *Christus est in Eucharistia præsens per signum & figuram sui*; & *Christus est in Eucharistia præsens per signum & figuram sui tantum*; prior vera est, posterior falsa. Cum 3. dicunt, Christum à malis non sumi, nomine sumptionis intelligunt formalem & fructuosam perceptionem; quemadmodum si quis lapillum degluti- ret, non diceretur comedere, quia nullum inde nutrimentum perciperet, ita qui Christum sine fructu gratiæ tanquam Spirituali nutrimento accipit, spiritualiter non comedit. Sic etiam Deus dicitur longè abesse à cordibus impiorum; quia non sunt in gratia DEI, licet DELIS secundum substantiam suam realissimè ipsis sit præsens: è contra qui Sacramentum ipsum verè non suscipiunt, attamen fide per charitatem operante Christi passioni inhærent, dicuntur spiritualiter corpus Domini sumere, quia effectum Sacramenti consequuntur, gratiam scilicet, quæ Spirituale est animæ nutrimentum. Videri potest Verweis loc. cit. cap. 2. art. 5. Cum denique 4. dicunt Patres, Christum non corporaliter, sed spiritualiter per fidem manducari, etiam intelligunt cum fructu spirituali, ad quem non sufficit corporalis preceptio, sed requiritur etiam fides & devotio animi; Sic Apostolus 1. ad Corinth. 1. ait, *quosdam ex communione non vitam, sed iudicium habere*, non quod corpus Christi non recipiant, sed quia non recipiunt Spiritu & fide. Ex his patet, Patres apertè stare pro reali præsentia corporis & sanguinis Christi in Eucharistia: & calumniam esse Amestij, quando fol. 87. cit. ait. *Patres plus nimis suis mysticis sensibus, allegorij & accommodatibus multo magis coacti* (quàm scilicet hæretici hic faciunt) *indulisse, nemo quisquam ignorat, qui illos à lumine salutavit.* Videatur Franciscus Costerus in opusculo ad Analyticam assertionem Andreæ Calliæ Calvinistæ; ubi statim ab initio duodecim Patres Latinos, totidemque Græcos pro Catholica doctrina & reali Christi in Eucharistia præsentia adducit ita claros & apertos, ut non nisi invitè in hæreticorum mysticos sensus & figuram torqueri possint.

XXVIII. Respond. *tertio ad argumenta ex naturali ratione, & ad absurda, quæ ex reali Christi præsentia sequi putantur.* Juremeritissimo hic exclamandum cum D. August. Lib. 22. de civit. Dei c. 1. *Heu qualibus argumentis Omnipotentia DEI humana contradicit infirmitas, quam possidet vanitas! Nonne descendendum, inveniri homines, qui ut suis libris retinaculis nova sua commenta confirmant, à mundo credente distendant, & cum mundo credente non verèdunt, in mundo credenti novam fidem obtrudunt?* Et si Sectarij huic mysterio realis præsentia corporis Christi in Sac. Euchar-

Eucharistia fidem negant, & capere nequeunt, corpus humanum viri proceri in angustissimum loci spacium contrahi: aut in distitis locis collocari simul posse, quomodo fidem dabunt alijs Christianæ Religionis mysterijs æquæ aut magis difficilibus v. g. Creationis, ubi ex nihilo cæli & terra, maria, & omnia reliqua in Univerſo mundo creduntur producta? SS. Trinitatis, ubi in tribus Personis verissime distinctis creditur una Natura simplicissima? Incarnationis, ubi unam Hypostasin in duabus Naturis perfectis & distinctis credimus? Itaque ea, quæ naturaliter videntur absurda & impossibilia, non repugnant. Nam imprimis potest vir procerus per penetrativam partium contractionem in punctum colligi; penetratio autem corporum sæpius à Christo fuit exercita, ut cum clauso utero Virginis in lucem prodijt: cum clausis januis ad discipulos ingressus est Joan. 2. v. 29. Et inter alias dotes corporum gloriosorum una erit subtilitas, quæ poterunt Sancti omnia alia quantumvis densa corpora instar Spirituum penetrare. Simile quid etiam in natura apparet in condensatione Corporum, quando corpus unum & latè extensum in arcum contrahitur, partibus invicem cœuntibus v. g. cum magnus aër in exiguum aquæ guttulum cogitur. Non debent igitur Adversarij impossibile putare, magnum Christi corpus in punctum contrahi, omnibus membris se invicem penetrantibus, sed suam erubescere ignorantiam in rebus & scientijs Philosophicis, in quibus nec modicè se sanctos hac in materia singulariter produunt.

XXIX. Deinde non repugnat, unum idemque corpus simul in pluribus esse locis, cum eadem anima simul sit in capite & pedibus. Et immentis DEUS ubique sit præsens totisque in omnibus locis. Christus post suam Ascensionem semper in cælo mansit, & tamen subinde in terra apparuit, ut Pavlo Actor. 9. v. 5. juxta Patrum & Doctorum interpretationem; nisi enim naturale istuc corpus Christi præsens sibi vidisset Apostolus, quomodo potuisset 1. Corinth. 15. v. 8. *Inter oculos redire Christi testes seipsum recensere?* Simile miraculum quibusdam Sanctis adhuc in terra degentibus evenit, ut Severus Episcopus Ravennas simul domi fuit, & apud ægium, ut Petrus Damiani scribit in ejus vita. Antonius de Padua simul in choro precatuſ est, & in cathedra concionatus, ut legitur in historia Seraphica Rudolph Tossinracensis fol. 80. Idem de S. Francisco Xaverio habetur in ejus vita, quod scilicet eodem tempore geminis in locis & longissime distitis periclitantibus adfuerit. Uno verbo, *non est impossibile apud DEUM omne verbum* Luc. 1. v. 37. ubi per verbum intelligitur, quidquid sine contradictione concipi potest, quia id solum est impossibile, quod involuit contradictionem, hoc est, quo posito, sequeretur idem simul esse, & non esse, sive quod pugnat cum essentia rei, ita ut ista dicatur esse, & non esse. At esse in loco, non est de essentia corporis, sed quid extrinsecum & accidentarium; etenim cælum extremum seu ultimum est verum corpus, & non est in loco. Ergo &c. Loquimur autem solum de contradictione objectiva: non de formali conceptuum seu enunciationum; quamvis enim Petrum currere & non currere sit contradictio, cursus tamen essentia

Petri non repugnat sed eidem adesse vel abesse potest; unde ruit nugatio Amefij fol. 114. contra Bellarminum communi doctrinæ adhaerentem.

XXX. Dicunt idem Amefius loc. cit. aliqui Calvinistæ, gravissimos Scholasticos (Thomam Bonaventuram, Capreolum, Durandum, Paludanum, Ferraram &c. nominant apud Radam citatos) negare, posse idem corpus modo naturali & circumscriptivè esse in duobus locis. Respond. gravissimos etiam plurimisque alios oppositum tenere ac docere, unum idemque corpus posse divinitus in pluribus locis circumscriptivè existere, ut Scotum, Alenssem, Richardum, Aureolum, Gabrielem & Recentiores plerisque omnes, è quibus Suarezius Disp. 48. Sect. 4. ait, hanc nostram doctrinam tam necessariò tamque evidenter consequi veritatem Catholicam de reali præsentia corpus Christi, ut mirabile sibi semper visum fuerit, contrariam sententiam gravissimis Theologis persuaderi potuisse. Urgent. Si corpus poneretur circumscriptivè in duobus locis, sequeretur, hæc duo contradictoria esse verà; *hoc corpus est comprehensum ab illo loco, quia ab illo continetur & circumscribitur: hoc corpus non est comprehensum ab isto loco, quia totum est extra illum.* Respond. negando, sequi contradictoria. Nam cum locus ambiat omnes partes locati, ita ut nulla sit, quæ in eo non contineatur, ex eo capite verum est, hoc corpus esse comprehensum ab isto loco. Licet autem idem corpus ponatur in alio loco, id non sufficit, ut dicatur illud non comprehendi à priori loco. In eo igitur casu potius dicendum est, idem corpus comprehendi à duobus locis, quàm comprehendi, & non comprehendi à quolibet ex illis. Cæterum quantumvis hæc doctrina, quàm verosimillimam censemus, non omnibus Scholasticis probetur, nemo tamen unus illorum negat, idem Corpus posse divinitus simul esse in uno loco circumscriptivè: in alijs definitivè, ut proinde nullus ex Catholicis Scholasticis hæresi Adversariorum patrocinetur. Instant. fieri non posse, ut Christi corpus sit simul & semel in multis locis sive circumscriptivè sive definitivè; hoc quippe tantumdem valet, ac si diceremus, DEUM non posse sibi ipsi contradicere, aut non posse mentiri. Respond. negando; quæ enim Scriptura, quæ Patrum testimonia, quæ Traditio docuerunt, idem valere, ac: DEUS non potest idem corpus in duobus locis ponere: & DEUS non potest mentiri? Agnosco sanè DEUM non posse mentiri: & agnosco DEUM simul & semel posse in duobus locis idem corpus constituere, non violatà, non in minimo læsà hominis Christi, vel corporis sui substantià, ideòque agnosco Sacramentarios in eptè idòsteque argumentari.

XXXI. At, inquiunt Adversarij, Christus verum corpus humanum habet nostris corporibus per omnia simile, excepto peccato. Quid tum? Nam Potentia DEI non minùs corpora nostra vel etiam jumentorum diversis in locis simul & semel constituere potest, quàm Christi. Inferunt idem apud Amefium fol. 117. hanc Angeli consequentiam Matth. 28. v. 6. *Non est hic, surrexit enim &c.* non fore bonam, si idem corpus possit simul esse in pluribus locis; potest enim simul recedere, & remanere. Respond. argumentationem, siquæ hic admittitur, optimam esse 1. re-

spectivè ad mulieres corpus Domini mortuum quærentes, ut illud ingerent in sepulchro, quibus rectè ait Angelus; non est hic, id est, in sepulchro mortuus, ut vos putatis, idque probat subjungendo: surrexit enim. 2. absolutè, sed moraliter loquendo non metaphysicè; quamvis enim fieri posset, ut aliquis vivens in sepulchro jaceat, si velit, moraliter tamen loquendo, qui resurgit à morte, non manet in sepulchro; sed egreditur &c. Omitto plures obiectiunculas, quibus necquicquam hic chartas implent Amefius cæterique Calvinistæ ex crassissima ignorantia Philosophiæ, & quæ ex hæcenus dictis facile rejiciuntur. Multiplicant autem hæc sua vaniloquia, & ineptas phantasias pluribus produnt, ne prorsus nihil dicere posse videantur; Nam ad clarissima SS. Patrum testimonia, quæ Cardinalis Bellarminus pro veritate Corporis Christi in Eucharistia assertit L. 2. integro per 39. capita alrùm silent, & nullâ factâ mentione ea transiunt ubi tamen pro rei momento quàm maximè loqui illos oporteret.

XXXII. Demum si absurdum non est, immenfam Christi Divinitatem ubique etiam in fordibus locis reperiri, non debet absurdum videri, ejus Corpus fordidos stomachos ingredi &c. quia tam parum inde inquinatur, quàm radij solis per lutum aut fimum traescentes. In oculis DEI omnibus fordibus foediora sunt peccata mortalia, quæ tamen sustinet, quando peccatores indignè communicant. Et hæc contumelia ab omnibus tolerata majorem illi gloriam conciliat; etenim inde apparet ejus bonitas & mansuetudo erga homines. Ex hisce facile constat, quid dicendum ad quæstiunculam illam Berengarij hodie à Calvinistis iteratam; si mures S. Hostiam rodunt, aut etiam devorant, quid cum illis fiat? Credo ego multo gravius Christum sentire maledicos dentes istorum Sacramentariorum, quàm murium; hi namque solas species arrodunt, aut etiam devorant: illi autem ipsum Christum attingunt, ejusque præsentiam tollunt. D. Thomas volebat, ut mures, si in facinorè deprehenderentur, statim secarentur, & ablata ex stomacho species in honesto loco asseverentur, dum desinerent. D. Antoninus verò ut comburerentur, & cineres in sacrarium mitterentur. Sacramentarij, nisi respiciant, merentur quidem etiam ignem, sed quo in inferno urentur, nunquam autem comburentur, cum infinities major sit istorum blasphemia, quàm illorum edacitas, quæ idcirco horrenda blasphemia jure æterùm punietur.

XXXIII. De reliquo Sacramentarij frustra laborant evertere fundamenta nostra, quibus doctrinam nostram de vera realique præsentia Christi in Eucharistia stabilivimus; quippe fortiora ac solidiora sunt, quàm ut phantasticis persuasionibus, crassis ignorantij, stolidis irrisionibus vel minimè concutiantur, ne dum evertantur. Quasi verò omnia in Scriptura sub obscura metaphora lateant involuta, quæ stupidis istis capitibus ipsius solis radijs non apparent clariora? Cum Evangelistæ & Apostolus agant de Eucharistia, & Christus promittat, se in ea daturum carnem suam & sanguinem suum, hæc promissio debet propriè intelligi de vera carne Christi, & de vero sanguine illius; cum ex regula S. Augustini generali nunquam recedendum sit à proprio & litterali Scripturæ sensu, nisi manifestè probe-

tur, talem sensum sequendum non esse, sed alium erudendum. Et quid impræsentiarum hoc cogit?

XXXIV. Dicunt Amefius fol. 91. & alij Calvinistæ passim, hoc in loco proprium sensum dimittere, & admittere tropum. 1. illis omnibus Scripturis, quibus tale flagitium vetatur, quale est, hominem eumque vivum devorare. 2. omnibus illis articulis fidei, qui veram Humanitatem Christi manere docent. 3. communi judicio totius Ecclesiæ Apostolicæ ad annos à Christo sexcentos & amplius. Mendacissima impietas hujus Sacramentariæ excusationis ex tota hac controversia liquet. Quia nec homo inhumano modo cruentè devoratur, sed Christus spiritualiter sub modo existendi spiritali manducatur: nec Humanitas Christi in cælo tollitur, sed eadem inibi circumscriptivè perseverans incipit esse definitivè in Eucharistia vi verborum Christi per conversionem panis & vini: nec de veritate Catholica verissimè testantur, Christum dixisse, *hoc est corpus meum: hic est sanguis meus*. Idem testatur Paulus, & tam hic quàm illi agunt de corpore, quod pro nobis traditum fuit, & de sanguine pro salute nostra effuso: & hoc intellexit Ecclesia jam à mille sexcentis annis de vero corpore & sanguine Christi, quæ nobis realiter & substantialiter in Eucharistia dari profertur? Num ergo liceat contra aperta Scripturæ verba, contra venerandam Patrum antiquitatem, contra Majorum traditionem & sæculorum omnium consensum ad tropos & figuram, ac nescio quam phantasticam locutionem confugere. Recipiunt Novatores solam Scripturam. Consulant hæc. Nunquid Evangelistæ & Paulus dicunt, Christum in nocte cænæ dixisse discipulis: accipite & comedite, hoc est signum corporis mei? minime certe; sed asserunt, illum dixisse, *hoc est corpus meum*. Scriptura ergo, à qua sola patrociniū expectant, unicè nobis favet, hæreticis neutiquam, imò his aperte contradicit. Quod si Sacra Scriptura per Scripturam solam elucidanda sit, ut ipsi clamant, exhibeant nobis aliquem locum Scripturæ, ex quo pateat, verba prædicta figuratè, & non in proprio sensu accipienda esse. Si verò nullus ejusmodi locus suppetat, cur expressam Patrum expositionem rejiciunt? Num Calvinus sapientior fortè est & perspicacior tot viris sanctissimis & doctissimis, qui ante illum scripserunt. Num sententia illius præferenda est judicio & communi sensui Ecclesiæ, quam scimus à Spiritu Sancto regi, & esse fundamentum ac columnam veritatis, & in rebus fidei ac tanti momenti errare non posse? Quæ Adversarij S. 19. speciatim ad fundamenta Catholice nostræ doctrinæ subruenda attulere, nullius, ut dixi, roboris sunt, & ex dictis facile refelluntur. Nihilominus

XXXV. Respond. *quarid*. In primis quæ allegatæ à nobis Sacre Scripturæ opponunt, minime satisfi-

satisfaciunt. Nam quod Christus Joan. 6. non locutus fuerit de reali ac Sacramentali communi-
one, sed solum de spiritali manducatione per
fidem, male colligitur ex his sequentibus verbis:
quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt; etenim
hæc non significant Christum substantialiter non
comedi: sed non sumi quasi instar animalium ore
ac dentibus corporeis instrumentis: nec
nutrire uti solent cibi corporales per nutrimentum
in stomacho expressum: sed comedi modo
spiritali invisibili, & supernaturali, ac nutrire
per nutrimentum spirituale, id est, per gratiam
in anima receptam, ut cum D. Augustino, Chry-
sostomo aliisque Patribus passim istum locum ex-
ponunt Doctores. Quæ ex Cajetano afferuntur,
quoad rem ipsam saniora non sunt, quam hete-
rodoxorum, sed solâ meliore intentione utun-
que salvantur. Unde tam hunc quam pauculos
alios Catholicos supra ex Molinæo nominatim
adductos acriter perstringit Joannes Maldonatus
in cap. 6. Joan. vers. 53. quod contra Scripturæ
sensum, contra Patrum omnium interpretationem;
contra tacitum imò minimè tacitum sed sa-
tis superque explicarum consensum Ecclesiæ di-
xerint ac contenderint, hoc loco de Sacramento
non agi. Quod, ut benignissimè dicam, est teme-
rarium &c. quippe ingenij modesti, & Ecclesia-
sticis moribus pietatèque instituti non est, om-
nium Veterum Patrum consensum contemptim
fastidiosèque repudiare: ac non solum non fran-
gi, sed ne commoveri quidem eorum auctorita-
te. Nam vix ulli Authoribono malovè ante Cal-
vinum venit in mentem, ut diceret, hoc loco de
Eucharistia non agi. Molinæus fol. 1023. urget
Canonem ut quid Dist. 2. de Consec. *Ut quid parat
dentes & ventrem, crede & manducasti &c.* Respon-
sio S. Augustinus (ex quo canoniste excerptus est)
in isto c. 6. intellexerit spirituales fidei mandu-
cationem: postea tamen in Lib. contra Pelagia-
nos retractavit, sententiam suam mutans, & va-
rios Christi sermones clarè de reali & Sacramen-
tali manducatione explicans, ut videre est Tom.
2. Epist. 106. ad Bonifacium, vel (ut alij libri)
ad Paulinum. Epist. 107. ad Vitalem. In sententia
8. contra Pelag. Tom. 4. L. 3. de consensu Evang.
c. 1. Tom. 7. L. 1. de peccat. meritis & remiss. c.
20. Et eod. tom. 7. Lib. 1. contra Julian. c. 4. ad
finem. Tom. 10. serm. 2. de verbis Apost. c. 1. &c.
Itaque Augustino juniore opponimus seniore.
Quamvis etiam S. Pater idem caput. 6. usque ad
vers. 51. de manducatione spiritali fidei intel-
lexerit juxta can. cit. non tamen sequitur, eundem
sequentia Christi verba sic quoque accepisse, ut
bene advertit Bellarm. L. 1. de Sac. Euchar. c. 7.
S. ad alia duo. Quemadmodum enim Christus
à pane, quo aliquot hominum milia miraculo-
sè pavit, paulatim processit ad panem, quo Moy-
ses Judæos in deserto aluit, & ab isto ulterius
ad spirituales fidei manducationem Corporis &
sanguinis sui ascendit, ita tandem ad realem &
Sacramentalem manducationem pervenit, dum
dixit v. 52. *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mun-
di vita.* Quod Augustinus non solum nunquam
negavit, sed in adductis textibus etiam confir-
mavit. Videantur Suarez Tom. 3. in 3. p. D. 46.
C. 2. Coninck & alij.

XXXVI. Quod Matth. 26. Christus non usus
fuerit verbo *Est*, aperte falsum est, & contra
omnes Authores; quippe Hebræis minimè defunt

verba & modi, quibus tempus præsens & iden-
tatem inter subjectum & prædicatum ita expri-
mant, ut nullus de hac significatione dubitandi
sit locus; quomodo enim aliàs dici potuisset E-
xod. 3. v. 14. *Ego sum, qui sum. An, sic dices Filij
Israel: qui est, misit me ad vos &c.* Quod autem ver-
bum *Est* non sumatur propriè, sed impropiè pro-
significat, non minùs falsum est. Unde hæc de re
sic scribit nominatus Maldonatus in cit. cap. 26.
Matthæi: *Nego verbum substantivum Est aut latinè,
aut græcè, aut hebræicè, aut ulla prorsus in lingua, quam
ego noverim, aut in sacris litteris aut apud ullum alium
Authorem etiam apud ipsos hæreticos pro verbo Significat
accipi solere, aut etiam posse, hominesque imperitissimos,
qui id dicunt, esse affirmo.* Nam in omnibus illis fi-
guratis locutionibus, quæ ab istis afferuntur, vel
ab ullo afferri aut excogitari possunt, si quæ figu-
ra est, non hæret in verbo Substantivo *Est*, sed aut
in prædicato aut in subjecto, aut in verbis non
substantivis, ut rider præsum v. g. cum dico: *Agnus
est Pascha*, figura est in nomine Paschæ, quod no-
men non sumitur propriè pro transitu, sed pro
agno, qui transitum significabat. Similiter, quan-
do *Christus* 1. Corinth. 10. v. 4. *dicitur Petra*, figura
est in nomine Petræ, quia Christus non est verè
petra seu rupes, sicuti non est verè vitis, leo &c.
sed similitudine quâdam, quia Ecclesiæ funda-
mentum erat. Et ita de cæteris. Manet ergo,
verbum *Est* semper substantiam seu extremorum
nexum, unionem, & copulam denotare; quod
etiam sensit Aristot. Lib. de Interpret. c. 3. Quod
1. Corinth. 11. ex minis Apostoli rectè realis Chri-
sti præsentia probetur, constat clarè ex ipsis ver-
bis Apostoli, qui affirmat, eos peccare, quod
Corpus Domini non dividicent, nullâ Symbo-
lorum factâ mentione, ut observant Patres Cy-
prianus, Chrysostom. Anselmus & alij. Ad hæc
nonne clariores olim figuræ & imagines Christi
erant victimæ Legales, quàm essent panis & vi-
num, si in solam Christi memoriam benedice-
rentur, & comederentur? & tamen nullâ legun-
tur minæ contra eos, qui indignè illas sumpse-
runt; licet Deus in Judæos ob idololatriam, ob
murmura, ob seditiones, & ob alia gravissima
scelera sæpe sæverit. Quod demum Paulus non
ita minetur accipientibus alia Sacramenta indig-
nè, quantumvis etiam mortaliter peccent, hoc
ipso manifestè indicat præstantiam hujus Sacra-
menti, quod non gratiam sanctificantem, sed
omnes Sanctitatis Fontem ipsum Christum in se
contineat. Non taceam, Calvinum suo se gladio
jugulare; Nam si rei sunt corporis & sanguinis
Christi, qui panem & vinum benedicta, licet so-
lum signa & figuras Christi, indignè sumunt, pari
modo ipse ejusque sequaces Iconoclastæ rei sunt
violari corporis Christi, quoties alias Christi Ima-
gines violant, temerant, contemnunt. Et sic
incidit in Scyllam, qui vult vitare charybdin.

XXXVII. Deinde quod Sectarij S. S. Patres
ita contemnant, & suum judicium illis præpo-
nant, magnam temeritatem & arrogantiam ar-
guit. Nam quamvis singuli homines sint fallibi-
les, tamen tot & tam doctos ac pios simul errasse,
non est credibile. Falsum autem est, quod inter
se dissentiant, si rectè intelligantur, ut supra ex-
posuimus. Et palpabile est mendacium Calvinij,
quod omnes verusti Scriptores intra quinque pri-
ma sæcula Sacramentarijs patrocinentur. Quod
mendacium nec ipsi Calviniani tegere, imò ferre
possunt;

possunt; unde Hieronymus Zanchius inter Proceres Sacramentarios haud postremus candidè omnium Confratrum Evangelicorum nomine professus est: *Patres jaclamus, cum nihil minus quam illorum doctrinam sequi velimus.* Fratres etiam Remonstrantes doctrinam suam ab antiquis Scriptoribus prorsus alienam advertentes in vindictis suis fol. 82. scribere non erubuerunt: *Antiquitatis Ecclesiasticae auctoritate pugnare non est Reformatorum, sed Pontificiorum: Et ex Patrum erroribus Religionis Pontificiae centonem confutum esse.* Ecce quos Calvinus falsè pro se jaclat antiquae Ecclesiae Patres: hos Calvinistae stolidè errorum damnant. Nam si Sapientiam Antiquorum exquirat Sapiens Ecclesiast. 39. v. 1. insipientes ac stulti sint oportet Sacramentarij, qui Antiquorum Patrum doctrinam negligunt, repellunt ac contemnunt.

XXXVIII. Demum quod Sacramentarij miracula, ex quibus praclarissimis & innumeris DEUS omnibus saeculis fidem de praesentia sui Corporis in Eucharistia comprobavit, à nobis conficta calumniantur, gravissima est injuria; possunt enim legitimis testimoniis probari, inter quos nonnunquam praesentes fuerunt ipsi haeretici, è quibus in primis famosus est ille, quem D. Antonius de Padua ad saniorem mentem reduxit; cum enim mulus impij à negato aliquàm multis diebus, sed praebito demum laute pabulo ad Antonium vocatus accurrisset, sanctiusque Epulum pronus in pedes adorasset, sapere à jumento suos etiam Dominus didicit, & Christum in Sacra Eucharistia praesentem credidit, & adoravit. Quod autem prodigia, quae negari non possunt, daemoni adscribantur, horrenda blasphemia est in Spiritum Sanctum, Christo Judice, cujus miracula cum Pharisei (quos hac in parte haeretici imitantur) diabolo attribuisent Matth. 12. v. 24. arguit illos peccati in Spiritum S. & quidem irremissibilis, sic enim ait vers. 32. *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc saeculo neque in futuro.* Atque haec videtur ratio inconvertibilis pertinaciae haeticorum, quod Spiritum S. blasphemant, miracula daemoni adscribendo. Nec apud homines satis est, aliquem vocare magum, sed oportet probare. Quibus autem argumentis probabunt, miracula Catholicorum esse magica? quodnam indicium commercij diabolici, quod nunquam potest ita abscondi, quin se prodatur vel expressè invocatione daemonis, vel ineptis & ridiculis gestibus &c? Caeterum fateamur, ex eo, quod sint miracula, non sequi, Christi corpus naturaliter adesse: sequitur tamen adesse, fidemque nostram de praesentia corporis ejus indubitata esse, quam miracula contestantur. Quoad id, quod doctrina non fit ex miraculis aestimanda. Dicimus 1. fidem non inniti miraculis, sed primae Veritati Revelantis. 2. miraculis nos induci ad persuadendum nobis, hoc ipsum à Deo fuisse revelatum. 3. falsam doctrinam nunquam hactenus veris miraculis esse confirmatam; unde nullus haeticorum hoc ornamentum doctrinae suae adhibere potest, quantumvis vehementer conetur. Antichristus ejusque Propheta signa edent; sed falsa, & ut Paulus 2. Thessal. 2. v. 10. loquitur, mendacia, qualia à sagis, veneficis, & id genus diabolicis hominibus diabolica rirtute quotidie eduntur.

XXXIX. *Error secundus est, Christum in Eucharistia esse quidem verè ac realiter praesentem, sed in Hostia solum ejus corpus, in calice vero solum ejusdem sanguinem.* Ita Tilmannus Hefhufius Lib. de sexcent. errorib. Pontif. tit. 17. cap. 4. & 18. Hermannus Hamelmannus Lib. de Commun. sub utraque specie. Illyricus in Lib. contra Sacramentarios, & nonnulli ex primis Lutheri asseclis. Probant. Tum quia plus non adest in hoc Sacramento, quam Christus suis verbis expresserit. Sed tantum expressit in pane Corpus suum: & in calice sanguinem. Ergo &c. Cur enim Christus caetera racuisset, si plura adessent? cur non dixisset: hic sum ego? nam si quis alteri donet equum, non dicit, se donare corpus & sanguinem equi, sed totum equum. Tum quia si in una specie totus esset Christus, tunc altera species esset supervacanea; quemadmodum si in uno libro omnia continerentur, frustra libri multiplicarentur. Tum quia si totus Christus esset in qualibet specie, tum sanguis ejus in Hostia comederetur, & corpus in calice biberetur, quod est absurdum. Tum quia concomitantia illa & connexio corporis & sanguinis nullum habet fundamentum; etenim unio hypostatica cum divinitate non importat hanc connexionem, ut ubique sit corpus, ibi etiam sit sanguis, & vicissim; siquidem divinitas est unita humanitati, & tamen non sequitur, ubicunque est divinitas, ibi esse etiam humanitatem. Ergo etiam non sequitur, ubicunque est Corpus, ibi etiam esse sanguinem, sicuti hominis caput est unitum animae, & tamen anima rationalis est in pede, ubi non est caput.

XL. Error iste Christum quasi occidit, sapientique hic iterum mori debet contra illud Pauli ad Roman. 6. v. 9. *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* At si corpus exanimatum & exanguis foret, mortuum esset. Utrum autem DEUS absoluta sua potentia facere possit, ut Corpus Christi sine anima sub specie panis existat, huc non spectat; cum non inquiramus, quid DEUS absolute facere possit, si vellet, sed quid sit facturus, & quid reipsa faciat. Ille autem nec facit, nec unquam facturus est, ut Christi corpus alicubi reperiri mortuum; id quod nobis ex revelatione divina Paulo facta constat. Eundem errorem rejiciunt Concilia & Patres apud Gregor. de Valentia Tom. 4. D. 6. Q. 4. pun. 2. ubi etiam adducit Galatinum, qui Lib. 10. de Arcanis Catholicae veritatis cap. 6. sententiam commemorat cujusdam Rabini Chana nomine, qui ante Christum natum scripsit super cap. 49. Genes. *Panem converti in substantiam ipsius Messiae; unde sequeretur, totum Messiam sub specie panis contineri.* Argumenta Sectariorum nihil convincunt.

XLI. Respon. ad 1. negando Maj. nam est consuetus modus loquendi, ut una parte expressa caetera subintelligantur. v. g. dicimus, belli Ducem insigni victoria potitum, scil. cum suo exercitu, sine quo nihil effecisset. Cur autem Christus tantum corpus, vel sanguinem expresserit caeteris partibus causa fuit, quia effusionem sanguinis sui verbali quadam separatione inlinuare voluit, ut audito solum corpore, postea sanguine, mortem illius cogitaremus. Ad 2. quantumvis in unica specie sit totus Christus, tamen alteram spe-

ram speciem non esse superfluum; quia utraque simul sumpta excitat memoriam passionis, ut recens diximus. Multorum etiam sententia est, utramque speciem plus conferre gratiæ, de quo infra. Ad 3. negando sequelam; quia comestio & potatio potius denominantur à re sumpta, quam à modo sumendi; nam si cibus sumatur per modum potus sorbendo v. g. jentaculum, tamen proprie non bibitur, sed comeditur: è contra si potus sumatur per modum cibi v. g. vinum è scutella cochlearibus hauriendo, tamen proprie non comeditur, sed bibitur. Ita corpus Christi in calice comeditur, & non bibitur: Sanguis autem in Hostia bibitur, & non comeditur; quantumvis sit tantum quæstio de nomine, nec magnum absurdum foret concedere, corpus Christi bibi, & sanguinem manducari, quando sub speciebus potus & cibi sumuntur. Ad 4. concomitantiam & connexionem corporis & sanguinis Christi non fundari in unione hypostatica, sed in immortalitate Christi, cui repugnat illarum partium separatio. Nam corpus sine sanguine & anima est mortuum: sanguis sine corpore & anima est similis mortuo quasi per phlebotomiam emissus.

XLII. *Error tertius est*, Christum in ipsa solum sumptione, seu actu communionis esse realiter presentem in Eucharistia. Ita Buterus apud Cochleum Lib. 3. Miscellan. tr. 8. quem deinde secuti sunt Lutherus, Melancthon, Brencius, Illyricus & Lutherani omnes, ut videtur est apud Gerhardum Lib. 2. P. 2. fol. 1020. Ipse etiam Calvinus & Petrus Martyr, alique Sacramentarii omnes illud suum Sacramentum volunt tantum in usu consistere apud Amestium Tom. 3. fol. 140. Dissertunt tamen, quod Calviniani solum velint esse Sacramentum, dum editur & bibitur: Lutherani verò dicant, Sacramentum & corpus manere in tota actione cœnæ Domini, id est, dum panis benedicitur, frangitur, distribuitur, imò etiam dum ex ipsa cœna continuò deferuntur ad ægros vel ad absentes: Addunt nonnulli toto triduo posse servari propter ægros apud Bellarminum Lib. 4. de Euch. cap. 1. Probanr. Tum quia Evangelistæ scribunt, inter comestione omnia peracta fuisse à Christo æque ac Discipulis; sic enim loquitur Matth. c. 26. v. 26. *Accipite panem & benedixit ac fregit, deditque discipulis suis & ait: accipite & comedite, hoc est corpus meum.* Ergo corpus Christi tantum sit, quando panis sumitur. Tum quia hoc Sacramentum institutum est ad usum communionis. Ergo extra usum communionis non subsistit, sicuti etiam in mensam prophanam non inferuntur fercula nisi tempore comestionis. Tum quia Baptismus extra actionem non manet Sacramentum. Ergo nec Eucharistia extra usum. Tum quia ubi non est institutio Christi, ibi non est Eucharistia. Extra usum panis & calicis non est institutio Christi. Ergo nec Eucharistia.

XLIII. *Error iste à Concilio Tridentino Sess. 13. c. 3. & 6. Et can. 4. & 7. damnatur, & juremeritissimo.* Nam I. Verba Christi factitatis arguit, cum ante communionem dixerit, hoc esse suum Corpus & Sanguinem. Quia statim ac pronuntiatæ fuerant, veræ erant; hoc quippe requiritur ad veritatem orationis de præsentis; veræ autem fuerunt illa verba, quia erant operativa ejus, quod Apostoli manducaturi erant: ac insuper continebant causam manducandi. Ergo prius prolata esse oportebat, quocumque demum ordine ab E-

vangetistis alioqui referantur. 2. verbis Apostoli repugnat I. Corinth. 10. v. 15. ubi rursus significatur, jam tunc, cum panis frangitur, & benedicuntur calix, adesse Christum. Ergo est præsens etiam ante & extra usum seu sumptionem. 3. adversatur pronuntio illi D. Augustini Tract. 80. in Joannem: *accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Nam per hoc indicatur, statim ac legitima verba, circa materiam Sacramenti pronuntiatæ sunt, subsistere Sacramentum. Sed in proposito ex ipso verborum sensu, qui ab usu abstractit, verba ritè ad elementum seu materiam consecrabilem accedunt ante & extra usum. Ergo etiam ante & extra usum fit Sacramentum; quod inde confirmatur. Kemnitius 2. part. exam. Sess. 13. can. 3. & 6. Gerhardus loc. cit. alique Lutherani fatentur, tempore intermedio inter distributionem & manducationem esse ac permanere Sacramentum. Ergo permanebit etiam, si quis aliquamdiu v. g. per dimidium quadrantem acceptæ hostiæ manducationem differat. At si per medium, cur non per integrum quadrantem? cur non per horam, diem, hebdomadam, mensem &c. Certè quicumque terminus constituetur Sacramento, arbitrarius, factus non è ratione positus erit. Argumenta viliâ sunt, nihilque probant.

XLIV. *Respon. ad 11. non ex verborum ordine, ut jam insinuavi, sed etiam ex sensu colligendum esse, quid factum sit.* Cum ergo in his verbis, *Hoc est Corpus meum, & Hic est Sanguis meus*, contineatur ratio, cur Apostoli bibere & comedere debuerint, ut inquit particula enim; omnino dicendum est, hæc verba præcessisse comestionem, & bibitionem, ut evidenter constat ex Marco c. 14. v. 23. ubi dicitur: *Accepto calice gratias agens, dedit eis, & biberunt ex eo omnes, & ait illis: hic est sanguis meus novi testamenti.* In quibus si verborum ordinem sequamur, necessarid dicendum erit, ista verba (hic est sanguis meus) post bibendi actionem fuisse dicta; atque ita Apostolos non sanguinem, sed vinum solummodo bibisse, nec aliquid per pronomen hic fuisse substitutum, quod ut absurdum nemo dicet. Ad 2. In primis falsum esse, hoc Sacramentum tantum institutum esse ad usum communionis. Nam voluit Christus extra communionem, continuâ sua præsentia jugem sui memoriam excitare, & refugium in tribulationibus offerre, sicuti in Veteri Testamento in templo supra mensam semper exponebantur 12. panes propositionis in perpetuam memoriam illius beneficii, quo populus Judaicus in deserto 40. annis pane cœlesti fuit nutritus. Levit. 24. v. 8. Deinde licet concederemus, hunc finem hujus Sacramenti esse communionem, tamen nihilominus posset asservari in futuros usus, v. g. pro communiione morientium, sicuti prophani panes diu asservantur ad futuram comestionem. Ad 3. negando consequentiam. Nam Baptismus in re transeunte: Eucharistia in permanente consistit; quia baptismi Sacramentum non consistit in aqua, quæ est res permanens, sed in ablutione per aquam cum verbis facta; est quippe, ut diximus, lavacrum aquæ in verbo vite: Eucharistiæ verò Sacramentum non consistit in acceptione sola vel manducatione aut benedictione vel sola fractione, sed in pane sanctificato, quæ est res permanens, nec desinit, etiam si nemo illa utatur. Sic & cætera Sacramenta in actione consistere, ipsa

formæ eorum ratio ostendit. Ad 4. negando Minorem, cujus falsitas ex dictis constat. Addo, Gerhardum, cujus est hoc argumentum, explicare non posse, quando determinatè adfit corpus Christi; an in manu Prædicantis panem & vinum præbentis? an primum in ore communicantis? an in faucibus glutientis? an in stomacho? an denique in hisce omnibus simul? Singula horum non sunt comestio, ut patet; si in omnibus simul adfit, fieri id debet successivè, quomodo ferè embrio formatur in utero matris, quod est absurdum. Sequela tamen clara est; quippe ajunt, corpus Christi poni in Eucharistia, quando panis sumitur; at panis sumitur, quando in os ingeritur, deglutitur, & in stomachum demittitur. Cum ergo ista omnia non fiant nisi successivè, etiam Corpus Christi sic præsens ponetur. Videantur DD. Walenburch. Tom. 2. à fol. 352. ubi doctrinam Catholicam fusè contra Sectariorum nominatim contra Crocium Lutheranorum Patronum defendunt.

XLV. Ex dictis inferitur, usum seu ipsam sumptionem Eucharistiæ nec essentialem, nec etiam integram partem esse hujus Sacramenti. Nam Concilia & Theologi semper loquuntur de Hostia consecrata, ut de perfecto Sacramento. Unde Tridentinum Sess. 13. c. 3. dixit, *hoc sacramentum perfici ante usum*, ubi per Tò perfici haud dubiè indicat, Sacramentum esse in se perfectum, non integraliter imperfectum. Inquiunt Adversarij. Manducatio Eucharistiæ est signum sensibile conferens gratiam. Ergo est Sacramentum. Negatur rectè Antecedens à P. Sparza Q. 71. art. 1. & alijs. Manducatio enim non confert gratiam per modum Sacramenti & causæ, sed est mera conditio applicativa Sacramenti: nec gratia promittitur manducationi, sed Sacramento, suppositâ tamen debitâ hujus applicatione. Imò etiam si admitteremus, usum Eucharistiæ esse causam gratiæ, non statim inferretur, eum etiam esse Sacramentum, aut partem hujus; quia Sacramentum non constituitur in ratione talis per hoc, quod causet gratiam, sed per hoc, quod sit pignus gratiæ illius; posse autem aliquid esse causam gratiæ, & tamen non pignus, cui quâ tali ad Sacramentum constituendum Christus merita & gratiam suam alligavit, patet in operibus nostris, & bene advertit Arriaga D. 24. de Eucharist. n. 18. quem in definitione Sacramenti in Communi supra secuti fuimus.

CONTROVERS. LXXI.

DE TRANSUBSTANTIATIONE.

Magni momenti hæc est Controversia, cum à transubstantiatione dependeat veritas præsentia Christi in Eucharistia, & hæretici adeo ab eadem alieni sint, ut pro exemplo rerum apud Romano-Catholicos creditu difficillimarum adducant Transubstantiationem, Omnipotentiam DEI, quâ fidei mysteria nitantur, imbecillitati intellectus sui ineptè commensurantes.

PARS PRIOR

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. **T**Ransubstantiationem Philosophi generaliter definiunt *conversionem unius substantia in alteram*. Pro cujus definitionis intellectu notandum, tria ad conversionem requiri. 1. ut id, quod convertitur, desinat esse, quod ante erat; & quidem si sit compositum, ut desinat esse compositum ipsum, quamvis aliquid ejus maneat, sicuti quanto aër convertitur in aquam, materia eadem remanet: & si id, quod convertitur, non solum sit compositum, sed ipsæ etiam partes ejus, tunc etiam hæc simpliciter debent desinere esse, uti fit in Eucharistia. 2. ut aliquid succedat in locum ejus, quod desinit esse. 3. ut sit connexio quædam & dependentia inter desitionem unius & successionem alterius, ita ut ex his duobus entibus positivi unum desinat, & alterum succedat, atque uti desitionis fiat successio. hoc notato.

II. *Doctrina prima.* Quando substantia panis & vini per verba consecrationis legitime prolata convertitur in corpus & sanguinem Christi, effectus non fiat mutatio formalis; quæ sit per formam subiecto advenientem, sit tamen conversio propriè dicta, licet miraculosa, & ab omnibus alijs distincta. Nam sic eam appellant non tantum omnes Theologi, sed etiam Patres & Concilia Florentinum & Tridentinum mox citanda, idque merito, cum adsint conditiones ad veram conversionem requisitæ, ut itidem patebit. Eam verò conversionem Eucharisticam esse miraculosam ac proflus singularem, per se clarum est, cum nihil substantiæ panis & vini remaneat. Unde

III. *Doctrina secunda.* In eadem conversione Eucharistica post verba consecrationis à sacerdote prolata verè ponuntur Corpus & Sanguis Christi sub speciebus panis & vini: & vi hujus positionis desinunt esse substantia panis & vini sub prædictis speciebus, quæ solæ remanent, atque hinc illa ipsa conversio est vera Transubstantiatio. Est deinde apud omnes Catholicos ex Concilijs Lateranensi, Florentino & Tridentino, quod ultimum Sess. 13. can. 2. hæc habet. *Siqui dixerit, in S.S. Eucharistia Sacramento remanere substantiam panis & vini unâ cum corpore & sanguine Domini nostri JESU Christi, negaveritque mirabilem illam & singularem conversionem totius substantia panis in corpus, & totius substantia vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis & vini, quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissimè Transubstantiationem appellat, anathema sit.* Probat. 1. ex verbis Christi: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus:* Nam si adesset substantia panis & vini, tunc ista per pronomina Hoc & Hic demonstraretur, hæretique falsus iste sensus: hic panis est corpus meum: hoc vinum est sanguis meus: etenim quando plures substantiæ sub iisdem accidentibus latent (uti hic panis & corpus Christi) illa demonstrari solet, cui propriè insunt accidentia sensibilia. Sed accidentia sensibilia hujus Sacramenti inessent panis & vino, si hæc adessent. Ergo demonstrarent verum panem & vinum; quemadmodum de hoc energumeno malè diceretur: hic est diabolus; licet enim diabolus in eo lateat, tamen